

Les Bibliothèques Virtuelles Humanistes

Extrait de la convention établie avec les établissements partenaires :

- ces établissements autorisent la numérisation des ouvrages dont ils sont dépositaires (fonds d'Etat ou autres) sous réserve du respect des conditions de conservation et de manipulation des documents anciens ou fragiles. Ils en conservent la propriété et le copyright, et les images résultant de la numérisation seront dûment référencées.
- le travail effectué par les laboratoires étant considéré comme une « oeuvre » (numérisation, traitement des images, description des ouvrages, constitution de la base de données, gestion technique et administrative du serveur), il relève aussi du droit de la propriété intellectuelle et toute utilisation ou reproduction est soumise à autorisation.
- toute utilisation commerciale restera soumise à autorisation particulière demandée par l'éditeur aux établissements détenteurs des droits (que ce soit pour un ouvrage édité sur papier ou une autre base de données).
- les bases de données sont déposées auprès des services juridiques compétents.

Copyright - © Bibliothèques Virtuelles Humanistes




23

23 a

1:0 N1

Hoffman

IMAGINES MORTIS.



HIS ACCESSERVNT,

• EPIGRAMMATA, è Gallico idiomate
Georgio Aemylio in Latinum translata.

AD HAEC,

MEDICINA ANIMAE, tam ijs, qui fir-
ma, quàm qui aduersa corporis valetu-
dine præditi sunt, maximè necessaria.

*QVAE his addita sunt, sequens pagina
demonstrabit.*



COLONIAE
Apud hæredes Arnoldi Birckmanni.
ANNO 1555.

INDEX eorum, quæ hīs MORTIS Imaginibus acceſſerunt.

PARACLESIS ad periculofè decumbentes.

D. CAECILII CYPRIANI Episcopi Carthaginenſis, Sermo de IMMORTALITATE.

ORATIO ad DEVM, apud ægrotū, dum inuiſitur, dicenda.

ORATIO ad CHRISTVM in graui morbo dicenda.

D. CHRYSOSTOMI Patriarchæ Conſtantinopolitani, de Patientia, & conſummatione huius ſeculi, de ſecundo Aduentu Domini, deq; æternis Iuſtorum gaudijs, & malorum poenis, de Silentio, & alijs, homini Chriſtiano valde neceſſarijs, Sermo.

AD LECTOREM
CHRISTIANVM,
EPIGRAMMA.

Accipe iucundo præsentia carmina uultu,
Seu Germanæ legis, siue ea Gallæ legis:
In quibus extremæ qualis sit Mortis imago,
Reddidit imparibus Musa Latina modis.
Gallia quæ dederat lepidis Epigrammata uerbis,
Teutona conuertens est imitata manus.
Da ueniam nobis doctissime Gallæ, uidebis
Versibus appositis reddita si qua parum.
Non omnes pariter, nec in omni parte ualemus:
Præcipuam partem semper & error habet.
Sunt tamen appositis quædam sic reddita uerbis,
Omnibus ut sperem posse placere bonis.
Qualiacunq; mei sunt hæc monumenta laboris,
Gallia, germano pectore mitto tibi.
Deniq; cum præstent, me iudice, sacra profanis,
Materiam uoluit sumere Musa piæ.
Discimus hinc summam diuini numinis iram,
Quæ uarijs plectit crimina nostra modis.
Discimus & mortem peccati reddere pœnam,
Omnia quæ tristi corpora falce trahit.

A 2 Cumq;

*Cumq; triumphantis uictoria maxima Christi,
Mortis & inferni fregerit arma simul,
Non opus imbellem nimium metuamus ut hostem,
Qui nos ex uarijs ducit in astra malis.*

FRAXINEVS

AEMYLIO SVO.

*Criminis ut poenam Mortem, MORS sustulit una,
Sic te immortalem MORTIS imago facit.*

AMBROSIVS Lib. de Bono MOR-
TIS, Cap. II.


MORS ipsa cum absoluat omnes, paucos delectat. Sed non hoc MORTIS est uitium, sed nostrae infirmitatis, qui uoluptate corporis, & delectatione uitae istius capimur, & cursum hunc consummare trepidamus, in quo plus amaritudinis, quam uoluptatis est. An non sancti ac sapientes uiri, qui longaeuitatem peregrinationis huius ingemiscabant, dissolui, & cum CHRISTO esse pulchrius aestimantes, denique diem generationis suae execrabatur? sicut ille, qui ait: Pereat dies illa, in qua natus sum. MORS igitur bonum est,

Hactenus AMBROSIVS.

CREATIO MVNDI.

Formauit Dominus **DEVS** hominem de li-
mo terræ, ad imaginē suam creauit illum,
masculum & fœminam creauit eos.

GEN. I. & II.



Principio Cælum, Terram, Pontumq; sonantem
Ex nihilo fecit uoce potente Deus.
Inde leui terræ diuinæ mentis imago
Gignitur, humanum Fœmina Virq; genus.

A 3

Quia audisti vocem vxoris tuę, & comedi-
sti deligno, ex quo pręceperam tibi ne
comederes, &c.

GEN. III.



*Fallitur infelix à stulta coniuge coniunx,
Inuito comedens tristia poma Deo.
Commeruère grauem scelerato crimine Mortem,
Legibus hinc fati subdita turba sumus.*

MORS.

Emisit eum Dominus D E V s de paradiso
voluptatis, vt operaretur terram, de qua
sumptus est.

G E N. I I I.




Expulit omnipotens hominem de scde beata,
Nutriat ut proprio membra labore, Deus.
Pallida tunc primum uacuum Mors uenit in ora
bem:

Humanum rapiunt hinc mala fata genus.

A 4

Maledicta Terra in opere tuo, in laboribus
comedes cunctis diebus uitæ tuæ, do-
nec reuertaris, &c.

GEN. III.



Sit maledicta tuo sterilis pro crimine Tellus,
Vita tibi multi plena laboris erit:
Donec in exigua te Mors tellure reponet,
Quod fueras primum, tum quoq; pulvis eris.

Væ, væ, væ habitantibus in terra.

A P O C. V I I I.

Cuncta, in quibus spiraculū vitæ est, mor-
tua sunt. G E N. V I I.



Væ num. ium uobis, misero qui uiuitis orbe,
Tempora uos multo plena dolore manent:
Quantumcunq; boni uobis fortuna ministret,
Pallida Mors ueniens omnibus hospes erit.

A 5

Moriatur Sacerdos magnus.

I OSVE XX.

Et episcopatum eius accipiat alter.

PSAL. CVIII.



*Qui non mortalis uitæ tibi munera fingis,
Rebus ab humanis eripière breui.
Maximus es quanuis Romana in sede sacerdos,
Quod geris officium, qui gerat, alter erit.*

Dispone domui tuæ, morieris enim tu, &
non viues.

ISAIAE XXXVIII.

Ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ.

ISAIAE XXII.



Sic tibi disponas commisi munera regni,
Vt transire aliò posse repentè putes.
Cur ? quia cùm uitam suscepta morte repones,
Tunc tua diuulsus gloria currus erit.

Sicut & Rex hodie est, & cras morietur: nemo enim ex regibus aliud habuit.

ECCLE. X.



*Splendida fert hodie regni qui sceptras superbus,
Crastina lux illi tristia fata feret.
Quisquis enim regni summas moderatur habenas,
Munera discedens non meliora feret.*

Væ qui iustificatis impiũ pro muneribus,
& iustitiam iusti aufertis ab eo.

ESAIAE V.



Væ nimium uobis, qui iustificatis iniquum,
Erigitisq; malos, deprimitisq; bonos:
Donaq; sectantes fallacis inania Mundi,
Iustitiæ uerum tollere uultis iter.

DANIE. IIII.



Vos quoq; quos uita delectat pompa superbæ,
Implicitos fatis auferet una dies.
Herba uirens pedibus ceu conculcatur euntis,
Vltima sic tristi uos pede fata terent,

Mulieres opulentæ furgite, & audite vocẽ
meam: Post dies, & annum, & vos con-
turbemini.

ISAIAE

XXXII.



Huc etiam domina, matronaq; diues adeste.
Sic etenim uobis mortua turba refert :
Post hilares annos, & inanis gaudia Mundi,
Turbabit Mortis corpora uestra dolor.

MAT. XXVI. MAR. XIII.



Mors, ego percutiam pastorem, dicit, inermem,
Illius in terram mitra pedumq; cadent,
Tum pastore suo per uulnera Mortis adempto.
Incustoditæ disijcientur oues.

Princeps inductur mœrore. Et quiescere
faciam superbiam potentium.

EZECH. VII.



Princeps magne ueni, perituraq; gaudia linquas,
Quicquid & incerti Mundus honoris habet.
Sola queo Regum sublimes uincere fastus,
Imperio cedit splendida pompa meo.

B

Ipse morietur, quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.


PROVER. V.



Iam moriere miser, quia disciplina piorum
Nunquam uera tibi, sed simulata fuit.
Stultitiæq; tuæ magno deceptus aceruo,
Es stolidus falsum mente secutus iter.

Laudaui magis mortuos,quàm
viuentes.

ECCLE. IIII.



Plus ego laudaui Mortem,quàm uiuere,semper,
Vita quòd hæc uarijs est oncrata malis.
Nunc ingrata tamen me mors detrusit ad illos,
Fatorum rigida qui cecidere manu.

B 2

Quis est homo, qui viuet, & non videbit
Mortem, eruct animam suam de manu
inferi ?

PSAL. LXXXVIII.



*Quis tam grandis homo, tam forti pectore uiuit,
Cui maneat semper nescia uita necis?
Quis uitare potest, quod deijcit omnia, lethum,
Eripiens animam Mortis ab ense suam?*

Ecce appropinquat hora.

MAT.

XXVI.



*Tu petis ecce chorum pompa comitante frequens
ti,*

Mox age, dic horas uoce precante tuas.


Nam te fata uocant, illa morieris in hora,

Quæ tibi fert tristem, non reuocanda diem.

B 3

Disperdam iudicem de medio
eius.

AMOS. II.



Vos ego, qui donis corrupti falsa probatis,
E medio populi iudicioq; traham.
Non eritis iusta fatorum lege soluti,
Quam modo, qui uiuit, nemo cauere potest.

Callidus vidit malū, & abscondit se: inno-
cens, pertransiit, & afflictus est damno.

PROVER. XXII.



Vidit homo cautus delicta, malumq; probavit :
Pauperis & iusti causa repulsa fuit.
Iustitia titulo vexatur egenus & insons,
Legibus & maius munera pondus habent,

B 4

Qui obturat aurem suam ad clamorē pau-
peris , & ipse clamabit , & non exau-
dietur.

PROVER.

XXI.



*Consulitis dites omnilocupletibus hora,
Pauperis & clausa spernitis aure preces:
Sed vos extrema quando clamabitis hora,
Sic etiam clausa negliget aure Deus.*

Væ qui dicitis malum bonum, & bonum
malum: ponentes tenebras lucé, & lucem
tenebras: ponentes amarum in dulce, &
dulce in amarum.

ESAIAE V.




Væ qui taxatis pro falso crimine rectum,
Quodq; malum uerè est, dicitis esse bonum.
Ex tenebris lucem facitis, de luce tenebras,
Mellaq; cum tristi dulcia felle datis.

B 5

Sum quidem & ego mortalis
homo,


S A P. VII.



Ecce Sacramentum coelestia munera porto,
Vnde ferat certam iam moriturus opem.
Sum quoq; mortalis, simili quia sorte creatus,
Tempora cum uenient, cogar, ut ille, mori.

Sedentes in tenebris, & in vmbra MOR-
TIS, vinctos in mendicitate.

PSAL. CVI.



*Hæc uia fallendi mortales pulchra uidetur,
Qua tegitur ficta religione malum.
Nanq; foris simulant magnum pietatis amorem,
Omne uoluptatum sed genus intus habent.
At cùm finis adest, ueniunt tristissima dona:
Accumulat cunctos Mors inimica malos.*

Est via, quæ videtur homini iusta: nouissi-
ma autē eius deducūt hominē ad mortē.

PROVER.

IIII.



Apostrophe ad Mortem.

Quid sacrae terras Mors inuidiosa puellam ?

Gloria de uicta uirgine parua uenit.

¶ procul, et senio confectis retia ponas:

Hanc sine delicijs incubuisse suis.

Conueniunt hilari lusúsq; iociq; iuuenta,

Sumptaq; furtiuo gaudia læta toro.

Melior est Mors, quàm
vita.


ECCLE. XXX.



*Vita diu mihi poena fuit, me nulla uoluntas
Incitat, ut cupiam longius esse super.
Mors melior uita, certa mihi mente uidetur,
Quæ redimit cunctis pectora fessa malis.*

LVCAE

IIII.



*Tu benè cognoscis morbos, artemq; medendi,
Qua simul egrotis subueniatur, habes.
Sed caput ô stûpidum, cum fata aliena retardes,
Ignoras morbi, quo moriere, genus,*

Indica mihi si nosti omnia. Sciebas quòd
nasciturus esses, & numerum dierū tuo-
rum noueras? IOB. XXXVIII.



*Aspiciens curuum ficta sub imagine coelum,
Euentura alijs dicere fata soles.
Dic mihi, si bonus es uenturae sortis aruspex,
Ad me quando tibi fata uenire dabunt?
Inspice praesentē, quam fert mea dextra, sphaeram,
Te melius fati praemonet illa tui.*

Stulte, hac nocte repetunt animam tuam:

& quæ parasti, cuius erunt?

L V C A E

XII.



Hac te nocte manu rapiet Mors tristis auare,

Inq; breui tumba cras tumultus eris.

Ergo cum procul hinc uita priuatus abbibis,

Quò bona peruenient accumulata tibi?

Qui cōgregat thesauros lingua mendacij,
vanus & excors est, & impingetur ad la-
queos MORTIS.


PROVER. . XXI.



*Thesauros cumulat qui per mendacia magnos,
Et bona corradit plurima, stulta facit.
Mors etenim quando trahet in sua retia captum,
Hunc faciet facti pœnituisse sui,*

C

Qui volūt dītescere, incidūt in tētationem
& laqueū, & cupiditates multas stultas, ac
noxias, quæ demergunt homines in exitum
& interitū. I. ad TIM. VI.



*Vt bona mortales uobis mundana paretis,
Obijcitis uarijs pectora uestra malis:
Sic fortuna potens in multa pericula lapsos
Ad summum ducit perditionis iter.*

Subito morientur, & in media nocte tur-
babuntur populi, & auferent violentum
absq; manu. I O B. XXXIIII.



Insurgent populi contra fera bella gerentem,
Qui nihil humanæ commoda pacis amat.
Magnanimo freti uiolentum robore tollent,
Ipse cadet nulla percutiente manu.
Nam genus humanum ualidis qui leserit armis,
Auferet hunc fato Mors uiolenta graui.

C 2

Quoniam cūm interierit, nō sumet secum
omnia, neq; cum eo descēdet gloria eius.

P S A L. L X V I I I.



Nobilis haud ullos secum portabit honores,
Deiciet summo Mors ubi dura loco.
Non celebres titulos, claræq; insignia gentis
Aufert, in tumba nil nisi pulvis erit.

Spiritus meus attenuabitur, dies mei bre-
uiabuntur, & solum mihi superest sepul-
chrum. I O B. XVII.



*Attenuata meis fugerunt robora membris,
Vitæq; currentis fluminis instar abit.
Quàm citò præterijt nunquam reuocabile tēpus,
Et reliquum tumbæ nil mihi præter erit.
Tristia iam longæ pertæsus munera uitæ,
Me precor ut iubeant numina summa mori.*

C 3



Consumunt uitam, per gaudia multa puellæ,
Omne uoluptatum percipiuntq; genus.
Tristitia curisq; uacant, animoq; soluto
Otia delicijs condita semper amant.
Sed misera tandem fato mittuntur ad Orcum,
Vertit ubi summus gaudia tanta dolor.

Me & te fola M o R s fepa-
rabit.

R V T H. I.



*Hic est uerus amor, qui nos coniungit in unum,
Et ligat æterna mutua corda fide.
Sed nimis heu paruo durabit tempore, nanque
Mors citò coniunctos diuidet una duos.*

C 4

IIII. REG. I.



*Quem premis, ô uirgo, iuuenili corpore lectum,
Non hinc dura tibi surgere fata dabunt.
Nam prius exanimem te mors uiolenta domabit,
Pallidaq; in tumulum corpora falce trahet.*

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis.

MATTH. XI.



Huc ades, & promptus uestigia nostra sequaris,
Pondera qui fesso tergore tanta geris.
Iam satis es nummos pro merce forumq; secutus:
Omnibus his curis exoneratus eris.

C 5

GEN. III.




*Ipse tibi multo panem sudore parabis,
Præbebit uictum nec nisi cultus ager.
Post uarios usus rerum uiteq; Libores,
Finiet ærumnas Mors uiolenta tuas.*

Homo natus de muliere, breui uiuens tē-
pore, repletur multis miserijs : qui quasi
flos egreditur, & conteritur, & fugit ve-
lut vmbra.

I O B

X I I I I.



Omnis homo ueniens grauida mulieris ab aluo
Nascitur ad uarijs tempora plena malis.
Flos citò marcescens ueluti de cedit, & ille
Sic perit, & tanquam corporis umbra fugit.

&c. Si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa eius arma aufert, in quibus confidebat.


L V C. X I.



Fortis, & armatus, dum uis, & uita supersit,
Tuta sui seruant atria præsidiij:
Ecce superuenit iunctis Mors fortior armis,
Hunc malè quæ tuta de statione rapit.

Quid prodest homini, si vniuersum Mundum lucretur, animæ autē suæ detrimentum patiatur.

M A T. X V I.



*Quid prodest homini totum si sortibus orbem,
Ac aleæ innumeras arte lucretur opes :
Detrimentum animæ fato patiatur acerbo,
Nulla quod ars, fraus, sors, post reparare
queat ?*

Ne inebriemini vino, in quo est
luxuria.

EPHES. V.



*Parcite mortales nimio uos mergere Baccho,
Cui Venus expumans, luxus & omnis inest:
Ne ueniens cogat somno, uinoq; sepultos,
Mors animam uomitu reddere purpuream,*

Quasi agnus lasciuiens, & ignorans, nescit
quòd ad vincula stultus trahatur.

PROVER. VII.



Insanire, & scire nihil, suauissima uita est :
Optima non itidem. Quid furiosus agit ?
Securus fati, simplex lasciuit ut agnus,
Nescius ad mortis uincula quòd trahitur.

ESAIAE

XXXVIII.



Vt iugulent homines surgunt de nocte latrones:
Tollunt, quæ plenis fert anus in calathis.
Vim patior, clamat, mortem mittit Deus ultor,
Quæ per carnificem strangulat hos laqueo.

Cæcus cæcum ducit: & ambo in foueam
cadunt.

MATTH. XV.



*Pro duce cæcus habet cæcum . Dum incertus us
- terque .*

*Ambulat : in foueam lapsus uterq; ruit:
Vlterius nam sperat homo dum pergere, tumbæ '
In tenebras illum Mors mala præcipitat.*

D

I. CHRON. XXII.



*Fertur equis auriga , nec audit currus habes
nas,*

*Dum Mortis pugnat cum ratione timor , -
Corporis exiliente rota, deuoluitur axis :
Vina fluunt ruptis sanguinolenta cadis.*

Miser ego homo ? Quis me liberabit de
corpore mortis huius?

ROM. VII.



Qui cupit exolui, & cū Christo uiuere, mortem
Non metuit. Tali uoce fed astra ferit,
Infelix ego homo ? Quis ab huius corpore mor-
tis
Liberet (heu) miserum? me miserum cripiat ?

D 2

EXODI IX.



Hic puer ætate imprudens, est sanguine feruens,
Cum parma iaculum (cætera nudus) habet.
Infelix puer, atq; impar congressus atroci
Morti, quæ iaculis confodit hunc proprijs.

Pueri in ligno corruerunt,

THREN. V.



**Ludere par impar, equitare in arundine longa,
Socratico & pueros currere more iuuat.
Ecce repente ruunt equites in caudice ligni,
Ligneus ut Troiæ Pergama uertit equus.**

D 3

Quorum Deus venter est.

PHILIP. III.



Non secus ac pueri sine solitudine uiuunt,
Quorum maximus est uenter, & esca Deus.
Quem pinguem & nitidum, bene curata cute
tollunt,
Fronde coronatum, Mors leue tollet onus.

Fortium diuidet spolia.

ISAIAE

LIII.



Clara triumphatis hominum uictoria summis,
Vt summos doceat quosq; dedisse manus:
Diuidit erectis spolia exarmata trophæis
Victrix uictorum Mors uiolenta uirum,

D 4



*Quilibet ut possit rationem reddere, cuncti
Iudicis æterni stabimus ante thronum.
Propterea toto uigilemus pectore, ne cū
Venerit, irato iudicet ore Deus.
Et quia nemo tenet uenturi iudicis horam,
Esse decet uigiles in statione pios.*

Memorare nouissima, & in eternū non pec-
cabis.

ECCLE. VII.



*Si cupis immunem uitijis traducere uitam,
Ista sit ante oculos semper imago tuos.
Nam te uentura crebro de Morte monebit,
Quam repetens omni tempore cautus eris.
Da precor ut uero te pectore Christe colamus:
Omnibus ad cœlum sic patefiet iter.*

D 5

Rom. V.

Sicut per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum Mors, ita in omnes homines Mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.

MEDICINA ANI-
MAE, TAM IIS, QVI FIRMA,
quàm qui aduerſa corporis uale tudine præ
diti ſunt, in Mortis agone, & extremis
his periculoſiſſimis temporibus
maximè neceſſaria.



MORBI corpora infeſtantes, &
mors hæc corporalis, ingenti pa-
uore cõcutiũt animos noſtros,
adeò vt etiam ad eorum mentio-
nem sæpe inhorreſcamus. Equidem natu-
ra humana, quæ mauult non eſſe, quàm ma-
lè eſſe, non poteſt non, cùm mala hæc in-
gruunt, exalbescere ac dolere. Verum-
enim uero Animæ morbo eiufdemq; mor-
te nulla atrocior, nulla horribilior, nulla
immanior calamitas homini accidere po-
teſt. Nemo non horret, nemo non ve-
lis equiſq; fugit, & execratur ſupplicia,
ærumnas, morbos & mortem hanc cor-
poralem: ſed multò magis horum malo-
rum cauſas, uidelicet peccata, & no-
xam, declinare & euitare ſtuderemus Dei-
que iram, quam tot offenſionibus in nos
concitamus, metuere deberemus.

In pa-

IN parum commoda corporis affecti va-
letudine, confestim ad medicum curritur,
nullis hic sumptibus parçitur, omnia vitæ
saluti postponuntur, multo argento reme-
dia & antidota cōparantur, quo terrenum
hoc vaseulum, & breui pōst tamen colla-
psura testa refarciatur. Cur non pari stu-
dio & solitudine aduersus Animæ mor-
bos, longè grauiores atq; periculosiores,
remedia conquirimus expetimusq;? Quid
enim vtilitatis caperet homo, si totius qui-
dem mundi opibus afflueret, continuosq;
mille annos viueret, perpetuis & exquisi-
tissimis vitę huius voluptatibus perfrue-
tur, nec vllis morborum alteriusve calami-
tatis molestijs infestaretur, sed tamen Ani-
ma interim exitiali peccatorum culpa atq;
veneno infecta, satanæq; tyrannide op-
pressa, Deum haberet iratum, vt certo cer-
tius sciret se æternam cum corporis, tum
Animæ mortem & damnationem post vi-
tæ huius exitū subiturum? Ideoq; C H R I-
Mat. 25. s t v s monens nos, Vigilate, inquit, quia
nescitis diem neq; horam, in qua filius ho-
minis veniet. Ac ne posthabitis potiori-
bus, lōgeq; vtilissimis, leuia, friuola, vilia-
que persequeremur, monstrat cōpendio-
sissimam

ANIMAE.

fissimam certissimamq; & tutissimam ad veram fœlicitatem perueniendi viam, ubi inquit: Quærite primùm regnum Dei, & *Matth. 6.* iustitiam eius, & omnia adijcientur vobis.

Dies noctesq; torquêt, fatigantq; nos curæ victus, stabiliendarumq; opum nostrarum aliarumq; sæpe etiam futilium & caducarum fluxarumq; rerum, quæ parum nos iuuant, imò nonnunquam etiam grauisissimarum calamitatũ & deterrimorum vitiorum causa sunt.

At in quærendis comparandisq; bonis cœlestibus, quid nobis fœcórdius, quid negligentius, quid incogitantius, quid stupidi-
dius? Quæ quæso, potest esse cæcitas & demétia horribilior? Dum agimus vitam incolumem, vix vnquam de futura illa vita, deq; morte hac nostra temporali vel levis cogitatio animis nostris obrepit. At vbi decumbentes morbo conflictamur, morte iã fores pulsante, cùm stādum in acie ac pugnandum est, ibi tum demum de armis contra satanam sumendis, deq; vita nostra emédanda cogitamus. Hæc satis argumétosunt, nos valde imbecilli tenuiq; fide præditos esse, parumq; in militia Christiana exercitos. **DEVS** misereatur nostri. Amen.

SED

SEn enim omnis est ad resipiscendū ætas apta, nullaq; pœnitentia fera est, modò ante huius vitæ exitum agatur. At cōsulo moneoq; etiam atq; etiam, ne quis pœnitētiæ actionem in hunc postremū longeq; accerrimum agonē, procrastinet differatq;. Aegrè enim etiam ij, qui incolumes & validi per omnē vitā ad hanc emigrationis horā muniuere atq; iustruxere sese, subsistūt, seq; magno negotio vix ab hostis illi⁹ lōgè crudelissimi atq; astutissimi insidijs, technis, machinis insultuq; tuentur. Quid ijs fiet, qui omni timore Dei vacui, & pœnitue re nescij, fœdam, dissolutam, & perditā vitam vixerunt? quomodo quæso dimicabunt? quomodo resistent?

IAM verò cū ingens passim hominum vis & multitudo sit, cumq; ministri Euāgēlii nō præstò sint ubiq;, nec suā operā omnibus semper dare possint, nos animo bono pioq; ad omnes iuuandos propensissimo, rationē & formam hāc consolandi, instituēdi, atq; monēdi ægrotos ex verbo dei collectam cōscripsimus, in eorum maxime gratiam, qui rudes adhuc, nec ad huiusmodi casus sacrarū literarū sentētijs instructi sunt, vt prælecta hæc audientes, spem & conso-

ANIMAE.

consolationem solidam veramq; concipiant, ne in mortis agone longè acerrimo animum despondentes succumbant, pereantq;.

Fidem summo pericægroto necessariam, ad perferendos corporis dolores, tentationesq; quibus obruitur.

HOmo itaq; morbi gravitate lecto affixus, & de vita periclitās, varijs gravibusq; tētationibus, quibus cū illi depugnandum est, impetitur, obruiturq;. Ac primū omnium acerbissima hæc & grauiissima tētatio est, cū versante ob oculos tristissima Mortis imagine, cogitamus, uitæ huius lucem iucundissimam & gratissimam, omnesq; vel cognitione vel necessitudine aliqua iūctos, breuiter omnia hīc charissima & suauissima relinquenda esse. Mox & peccata, aduersus Dei voluntatem & mandatum à nobis admissa, offerūt sese, magnoq; impetu irruentia planè renouātur & recrudescunt, multoq; videntur plura atq; atrociora, quàm visa sunt antè vnquam mirificeque conscientiam excruciant, diuexant & angunt. Hīc Mors, Iudicium diuinum,

num, Infernus, Damnatio, Metus & Pa-
uor, quasi agimine facto, veterem homi-
nem nostrum impetuosis & turbu-
lentissimis grauissimorum dolorum ter-
rorumq; procellis perturbant, acerrimisq;
anxietatū tristitiæq; arietibus pectora qua-
tiunt oppugnantq;.

IN his agonibus, nisi fidē magna & con-
stante firmatum fuerit pectus nostrum, pe-
riculū erit, ne multitudine & magnitudine
tentationum defatigati atq; labefactati, ani-
mum despondeamus. Videntur enim ea,
quæ egrotantibus nobis occurrunt, multò
horribilissima atq; atrocissima, idq; nulla
alia de causa, quàm quòd nutat & valde exi-
gua est fides nostra, necdum etiam tanta, vt
verbo Dei fisa, apprehendere possit immē-
sas illas & inestimabiles filiorum Dei opes
& diuitias, videlicet, Remissionē omnium
peccatorum per Christum, Carnis resurre-
ctionem, exoptabile atq; dulcissimū illud
omnium electorum sodalitium, vitamque
æternam atq; omnia hæc in Christo & pro-
pter Christum donata.

IN his Fidei nostræ articulis quotidie
nos exerceremur, hos apud animū diligen-
ter volutos expensosq; nobis infigeremus,
Frequen-

ANIMAE.

Frequenter etiam Synaxin seu Mensam illam sacrosanctā accederemus, sed antè explorati, diligenterq; informati præparatiq; . Id enim in primis cauendum est, ne illotis manibus & animis augustissimū Eucharistiæ sacramentum tractemus.

D O L E N D U M profectò & indignum, quòd multos iam annos, parum pro dignitate, irreuerenterq; Sacramentum hoc corporis & sanguinis I E S V Christi tractatum, atq; administratum, adeoq; à quibusdam hereticis extremè contemptum est. Quàm grauitèr, quàm horribiliter hìc peccatum sit, præsentès pœnæ satis testantur, idq; Paulus prædixit I. Corinth. XI.

Mirum profectò & ingens pignus summiamoris erga nos, summāq; misericordiæ, quod hac ipsa cœna testatū vult, quòd seipsum nobis impertiat, quòd nos sibi adiungat tanquam membra, vt sciamus nos ab eo diligi, respici, seruari. Ita piæ mētes statuunt, Christum efficacem in nobis esse. Vtinam huius tantī muneris magnitudinem animo contemplari disceremus, vt grati essemus, & cum Fidem erigeremus, tū verò expauesceremus etiam, & cogitaremus, quantum habeat ingratitude sceleris,

E quàm

M E D I C I N A

quàm horribiles pœnæ tanti misterii prophanationē secuturæ sint. Nec existimādū est, minas illas grauissimas, quæ sunt apud Paulum, irritas esse. Deus enim verax est. Et certè arbitror maximam partem publicorum malorū his postremis temporibus imputandā esse huius sanctissimi muneris prophanationi. Sæpius itaq; summo pietatis studio ac religione Mensam hanc accedemus, vt cœlesti illo animæ cibo recreatis ac refocillatis animis nostris, Fides & Charitas in nobis augeatur, & roboretur.

Articuli Fidei ab ægrotis diligenter expendendi.

PORRò omnes quidē Fidei nostræ catholicæ artículos semper apud animos nostros tractare & meminisse debemus: sed in Mortis agonibus maximè diligenterq; expendendi & inculcandi nobis sunt quatuor, videlicet, de Ecclesia sanctorum, de remissione peccatorum per Christi sanguinem, de resurrectione carnis, & de vita æterna.

Morbi quare à Deo nobis immittuntur.

V

A N I M A E.

VTigitur Mors peccati pœna est, ita *Rom. 5.*
 etiam morbi sæpicule nobis immit-
 tuntur à Deo ob peccata nostra. Id quod
 multis scripturæ testimonijs clarè patet. *Io*
annis v. Psal. LXXXVIII. Deut. XXVIII. II. Reg.
XXIII. Affligimur etiam nō rarò, vt Fides
 nostra probetur. Nam tū demū videre est q̃
 amemus Deum, quātum illi fidamus, cū
 cruce aliqua graui premimur, cōflictamur
 que. Hīc itaq; omnia vide, vt toto corde,
 mente, & sensibus omnibus ad Deum con-
 uersis, non simulanter agas pœnitentiam :
 vtq; coram Deo deplores & cōfitearis pec-
 cata tua, ob quæ vel iustissimam Dei iram,
 & pœnam grauissimam promeruimus
 omnes. Vberrimam autem consolatio-
 nem, & absolutionem, quam vocant, si-
 ue remissionem peccatorum, quam in
 Ecclesia instituit Christus, petes ex Euan-
 gelio Ioannis cap. x x. Hic thesaurus im-
 mēsus quotidie tibi recluditur offerturq; :
 Accipite, inquit Christus, Spiritum san-
 ctum. Quorumcunque remiseritis pecca-
 ta, remittuntur eis : quorumcunque re-
 tinueritis, retenta sunt. Iam vbi veniam
 delictorum orauimus atq; impetrauimus,

E 2 haud-

haud dubiè etiam poëna & morbus siue afflictio incùbens, vel cessabit, & missos nos faciet, vel pro longè optima Dei voluntate in salutem egrotantis cedit.

Hoc enim tibi persuasissimum sit, nihil de hoc dubitaueris, quin ea poëna siue crux (vt maximè videatur graue iugum & onus carni) virga sit verè paterna, qua Deus te filium ad se inuitatum allectumque à peccando retrahit, auocatq;. Certè ardentissimo amoris affectu complectitur nos Deus, ex animo bene vult nobis, omniaq; facit in hoc, vt nos emendet, vt nobis proficit. Quem enim diligit, corrigit, eumque hic castigat & affligit, ne post hanc vitam æternò gehénæ supplicio torqueatur. Nec hæsitabis, sed certissimè tibi persuadebis, Deum esse patrem tui amantissimum & cupidissimum, vt maximè iratum se simulauerit. Non tyranni & carnificis, sed patris hæc est vnicè nos amantis ira, qui nō vult vt perdamur, sed vt emédati resipiscamus, & salutem consequamur. Hoc quouis oraculo Delphico certius est, si modò nos tā exigua fide præditi credere possemus. Primum omnium itaq; pete veniam & remissionem omnium peccatorum tuorum, sed
per

ANIMAE.

per Christum, sed corde verè pœnitentiam agente, vt bene tibi cum Deo conueniat, vt eum tibi conciliatum & propitium habeas. Hinc potes etiam petere, vt te ab vrgente afflictione liberet. Sic docet nos Ecclesiasticus, capite xxxviii. Fili, inquit, in infirmitate tua ne despicias teipsum, Sed ora Dominum, & curabit te. Sic orat & Psal. lxxix. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, citò anticipet nos misericordiæ tuæ. Adiuua nos Deus salutaris noster. Domine Deus virtutum conuerte nos, quousq; irasceris? ostende faciem tuam, & salui erimus.

Primùm orat remissionem peccatorum, vt per gratiam Dei iustificetur, deinde deprecatur iram Dei. Et tu orans liberationem & leuationem à cruce te premente, semper addes hanc appendicem, Fiat volûtas tua, longè sanctissima & optima. Neque enim melius nobis cõsulemus, quàm fidissimus ille & infinitæ potentiæ, sapientiæ & bonitatis inexhaustæ pater noster, qui oculos suos nusquam auertit à nobis, nostriq; eura Mat. 10.
ram summa sedulitate agit, qui pilos capitis nostri numeratos habet, qui omnia viuifiat, 1. Petri 5.
vegetat, fouet, tegit, alit, seruat, tue-
tur,

M E D I C I N A

tur, qui omnibus prouidet & prospicit multò magis & melius, quàm creaturæ etiam optare possent.

*Tria sunt, quæ in Mortis agone grauissimè & crudelissimè nos excruciant, ingentiq; terrore animos nostros con-
turbant, Peccatum scilicet, Mors, & in-
fernus, seu Damnatio.*

P E C C A T U M.

PEccata, in quibus vitam nostram perditè scelerateq; trāsegimus, quibus & Deum & proximum nostrum grauissimè offendimus: hæc cùm veniunt nobis decubentibus in mentem, maximo pauore & dolore afficimur: quemadmodum Paulus inquit Romano. 11. Indignitatio & ira, afflictio & anxietas, aduersus omnem animã hominis perpetrantis malum.

M O R S.

ADam & caro nostra inuitissima moritur. Ingruente igitur morte, ingentibus doloribus, & anxietatibus, quas nulla lingua explicauerit, cor humanũ cõquassatur debilitaturq;. Formidolosa enim natura & psychicus homo noster miserè metuit, ne semel mortuus & defossus in terrã, nunquàm redeat & reuiuiscat, iamq; secũ esse actum putat.

G E H E N N A E T D A M N A T I O.

Hæc

ANIMAE.

HÆC cùm incurrūt in oculos, ibi demum metuit homo ne prorsus à facie Dei reiiciatur, nihilq; videt aliud, quàm æternam mortem. Hic animis opus est, opus est hic pectore firmo, ne nullus pusillanimitati & desperationi locus detur. O clementissime Deus, ô indulgentissime pater, da quæso & iuua vt adhuc bene valentes & incolumes timorem tui discamus, verbum tuum colamus & amemus, te scopum omnium actionum nostrarum nobis præfigamus, vtq; huius acerrimi agonis semper memores, nos muniamus, & armemus vt feruemur, vt pij & timenres omnia nostra ad tuam gloriam dirigamus, & tandem vita æterna potiamur. Amen.

Cùm peccata conscientiam agitant & angunt, quid agendum.

COgita quòd Dei filius è cœlis demiserit sese ad infima, honoq; fact⁹, tua totiusq; Mûdi peccata sibi imposuerit, pro quæ iis in cruce vltro mortem oppetierit, pro ijs omnibus satisfecerit, grauissimas nostro nomine pœnas dependens. Hic sanguis Christi pretiosissimus propter tuam etiam salutem profusus est: huius mortis, & tu particeps es, si modò credideris

E 4. Chri-

MEDICINA

Christū æquè pro te atq; pro Petro & Paulo mortuum esse. Nec quicquam dubitare debes, quin tam tibi, quàm Paulo sit mortuus. Es enim in Christi mortem baptizatus. Hoc te solari, hoc animum erigere ac firmare tuum debet. Nam cùm sis in Christi mortem baptizatus, Christi mors tibi salutem opemq; feret, per Christi mortē peccatis morieris, per Christi mortem peccatorum remissionem omnium nō dubiā accipies, deinde per Christi mortem in nouam & æternam vitam resurges. Baptismus enim fœdus & gratiæ fauorisq; diuini pactum & signum est, in quo Deo cōciliatus es, vt per eum lætam & tranquillam conscientiam habeas, propter remissionē peccatorum per resurrectionem Christi. Certè & tibi loquitur Christus in institutione cœne suæ, vbi profitetur testaturq; sanguinem suum in remissionem peccatorū profusum esse. Iam itaq; vt maximè vitam non per omnia innocentem nec ab omni parte puram vixisti, non est quod desperes : sed nulla facta mora indefinenter nomen Domini inuoca, & saluus eris. Rom. x. Atq; in hæc verba prorūpe: O clementissime Deus, ô pater omnis misericordiæ, pater Domini nostri

ANIMAE.

nostri Iesu Christi, sis propitius mihi peccatori, fer celerem misero commiseratus opem propter acerbissimam illam, sed pretiosissimam passionem & mortē Iesu Christi vnigeniti filij tui, redemptoris & seruatoris nostri vnici, Amem, Amen. Ne intres Domine in iudicium cum seruo tuo, ne me tractes pro meritis meis, nec secundum iniquitatem meā facias mihi, sed propter infinitam & inexhaustam bonitatem atq, misericordiam tuam suscipe me. Misera ego & imbecillis creatura in manu tua, tui iuris & in ære tuo sum. O clementissime. ô maxime Deus. O indulgentissime pater, ne me destituas ne miserū me repudiātū abiicias. Tuus sum', quātus quantus sum. Nemo me consolari, nemo iuuare potest, præter te solū. Tu verus es Alexicacos, tu certissimū & præsentissimū es in omni necessitate auxilium, præfidiū, subsidium, propugnaculū, tu arx es munitissima. Tu Deus refugium nostrū, tu virtus nostra, tu *Psal. 45.* adiutor in tribulationibus. In te Domine spero, non confundar, ne vnquam pudeam, spe mea frustratus, sed tua iustitia serua me. Inclina ad me aurem tuam, accelera vt eruas me. Esto mihi in Deum protecto *Psal. 30.*

E s rem

MEDICINA

rem,& in domum refugij, vt saluum me facias. Fortitudo mea & refugium meum es tu. Dominus meus es tu. In manibus tuis fortes meæ. Illustra faciem tuam super seruum tuum, saluum me fac in misericordia tua Domine.

Porro, in primis hoc monendus es, qui morbo conflictaris, ne cogites quæ peccata admiseris, sed potius salutiferæ & pretiosissimæ mortis christi imaginē tibi ob oculos positam contemplare, eam animo tuo penitus infige, & certò tibi persuade, peccatis admissis iam non te, sed Christum premi, ea omnia Christi humeris imposita esse, qui ea translata in se, expiauit, & depēdit pro nobis, ita vt nunquam sit nobis ea imputaturus, sed remissurus gratis omnia, veluti in Symbolo fidei dicimus, Credere remissionem peccatorum.

Hic ægrotanti uerbi diuini testimonia de Remissione peccatorum per Christum diligenter incalcanda, quorum aliquot subiecimus, ut essent in promptu.

I O A N. I. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata Mundi.

I. P E T R I. I. Non caducis rebus, velut
auro

ANIMAE.

auro & argento sumus redempti, sed pretioso sanguine, velut agni immaculati, & in contaminati Christi.

Hæc, frater mi, altissimè demitte in animum tuum, hæc te erigant & consolentur. Non est quòd de remissione peccatorum ambigas: si quidem Christi nomen professus es, & illius misericordiæ fidis, tua etiam tollet peccata. Quòd si nihil hæsitaueris, constanterque hoc credideris, iam liberatus es ab omnibus peccatis tuis, iam factus es Dei filius. Nihil est quod vacilles, nihil est quod metuas. Sed audi testimonia, atque ita audi, vt penitus animo imprimas.

IOAN. III. Sic Deus dilexit Mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Qui credit in eum non condemnatur.

MATTH. IX. Non veni ad vocandum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

MATTH. XI. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Omnes ad se vocat, mi frater nullum repudiat, nullum reiicit. Huic voculæ (omnes) etiam te includes, eiusque misericordiam
implor-

MEDICINA

implorabis, & refocillabit suscipietq; te.

R O M. V. Commendat suam charitatem erga nos Deus, quòd cùm adhuc essemus peccatores, Christus mortuus est pro nobis, multò magis ergo nunc iustificati sanguine eius, seruabimur ab ira per eum.

Hoc Euangelium plenum summæ consolationis, etiam tibi, mi frater, denuntiari voluit Deus pater, tui amantissimus. Nam & tibi missus est Christus, tibi etiam mortuus est. Crede modò, & cõmenda te Christo seruatori & vindici tuo.

R O M. V. Si cùm inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati seruabimur per vitam ipsius.

I. C O R I N T H. I. Christus factus est nobis sapientia à Deo iustitiaque, & sanctificatio, & redemptio.

Hic, frater charissime, animum erige, vt maximè peccator sis, nō est quòd ideo despondeas animum, sed confitere & agnosce te coram Christo peccatorem. Christi misericordiam implora, veniam pete, & crede Christum vnicum esse seruatorem, Christum esse salutem & iustitiam tuam, & erit cōtinuo tua tegetq; & abolebit omnia peccata

ANIMAE.

cata tua, vt nihil tibi metuendum sit inde vel periculi vel damni.

I. I. C O R. V. Eum, qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit deus, vt nos efficeremur iustitia Dei per illum.

G A L. I. Seipsum pro peccatis nostris dedit Christus, vt eriperet nos ex presenti seculo malo, iuxta voluntatem Dei, & patris nostri.

E P H E. I. Per Christum habemus redemptionem, per sanguinem ipsius remissionem peccatorum, iuxta diuitias gratiae suae.

I. T I M O T H. I. Christus Iesus venit in Mundum, vt peccatores saluos faceret.

Hoc, mi frater, spera & tu, his verbis adde fidem, quemadmodum Paulus, tunc salua-beris & iustificaberis.

I. T I M. II. Christus Iesus dedit semetipsum pretium redemptionis pro omnibus.

Hoc, mi frater constantemente crede, iamque vnus es ex redimendis citra controuersiam.

H E B R. X. Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel peractam.

M A T H. XXVI. In coena audis Christum tecum loquentem, & cibantem corpore suo, tibi

M E D I C I N A

tibi exhibentem, vt bibas sanguinẽ suum ad vitam æternam, vbi inquit: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in mei commemorationem. Similiter & postquàm cœnauit accepto calice, dixit: Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite quotiescunq; biberitis in mei commemorationem.

Hæc verba, mi frater, tibi dicta putabis, & animo tuo altissimè infiges. Nam cùm ad omnes loquatur, etiam tibi loquitur, tibi proderunt, in tuam salutem & emolumentum cedent omnia, quæ Christus passus est, non minus te quàm Petrum ac Paulum iuuerunt.

I. P E T. I I. Christus peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.

I. P E T. I I I. Christus semel pro peccatis passus fuit, iustus pro iniustis, vt nos adduceret deo.

I. I O. I. Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni iniquitate.

I. I O. I I. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Deũ Iesum christũ iustum. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

Potes

ANIMÆ.

Potes plures sententias, potes & pauciores sumere, prout videbis decumbentē affectum esse.

Audisti hic, frater charissime, verba non hominis sed Spiritus sancti, quæ testantur palàm, quòd Deus pater, qui nō vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, pro summo illo suo in te amoris flagrantissimi affectu, peccatorum tuorū sarcina te leuarit, eaq; humeris filij sui dilectissimi imposuerit. Is ea suo corpore baiulauit & pertulit, vt nō possint te damnare vnquā. Quippe Deus mortem Filij sui loco plenariæ & sufficientis pœnitentiæ, satisfactionis, solutionisq; pro peccatis tuis omnibus reputat & accipit, modò in Christum credideris. Cùm itaque peccata tua in Christum coniecta in morte eum detinere, suumque facere & damnare non potuerint, profectò iam satisfactum est pro iis, tibiq; iam remissa omnia. Hoc crede, viuesq; in æternum. Christus ipse tulit peccata tua, & mortuus est pro iis, sed resurrexit, suntq; peccata credentiū per Christi mortem abundè satis depensa & expiata. Atq; ita strictæ seueræq; iustitiæ Dei pro peccatis satisfactum est, & plus satis, per Iesum
Chri-

MEDICINA

Christum. Christus iam tuus est, & omniū
 credentium, cum bonis suis omnibus, cum
 morte sua, cum resurrectione, cum ascen-
 sione in cœlos, cum vita, cum meritis,
 cum gloria sua. ROM. VIII. Quapro-
 pter nihil in te iuris habet Satan, nulla
 te iniuria afficere potest, cum sis per Chri-
 stum iustificatus, cum sis ab omnibus tuis
 peccatis liberatus, cum sis dei filius, Deus
 pater tuus est, tui amantissimus, propter
 Christū, qui te reconciliauit. Quapropter
 fac animo bonus sis, & gaudeas in Domino,
 siquidem cum sis in manibus Dei omnipo-
 tentis, patris tui fidissimi atq; optimi, in
 portu nauigas, extra omne periculum es,
 nihil tibi incommodi, nihil aduersi eueni-
 re potest: nā dei custodia ac satellitio Ange-
 lorū septus es. Christ⁹ tuus, quātus quātus
 est, is omnia peccata tua sua innocentia
 obtegit & aufert. Nemo te manibus patris
 tui cœlestis extorquere poterit. Vbi crucē
 & afflictionem hanc corporalē (quæ sanē
 collata ad vitam æternam, leuissima est &
 momentanea) pertuleris deuorarisq; , vici-
 sti. Christus in simili, imò longè acriore
 atq; horribiliore agone fuit. Hic præcessit,
 hic caput tuū est, cui necesse est vt fias cō-
 formis,



ANIMAE:

formis, atq; peccatis moriaris, vitamq; hãc peccatis madidam sordidatamq; deponas, vt cum Christo domino tuo in æternum vitam veram viuas. Nete angant peccata tua, non est quòd ob ea conscientia tua maceretur, cùm iam ablata sint & abolita. Spiritus ille malus exitium animabus nostris machinans, tibi deuictus, tibi pessundatus est. Deus iam in te respicit, tui curam agit, te tuetur, & custodit, inque te respicit totum Angelorum & Sanctorum omnium sodalitium. Ac, vt Christus damnari nõ potest, ita nec tu damnari potes, modò tota cordis fiducia Christo affixus credideris.

Si Peccatum, Mors, Infernus, Christo Domino tuo nihil incommodi inferre possunt, nec tibi incommodare possunt: siquidem in Christo es, & Christus in te est, nunquam igitur damnari potes. Quòd si tibi ipsi peccata tua ferenda & expianda essent, nullo modo par esse posses ferendo tanto oneri, peccata longè te præponderarent, & ad imos inferos demersum absorberent.

Verùm Christus verus Deus, idemq; verus homo, obtulit vltro seipsum pro te, seque in tuum locũ substituit, pro te depen-

F dens,

M E D I C I N A

dens omnia, veluti Psal. LXXIX. ait: Quæ non rapui, exolvebam. Tu quidem commisisti peccata in te, sed ea luit atque expiavit pro te Christus teque in libertatem asseruit, & vitæ æternæ confortem fecit, si modò huic Euangelio credideris.

Etiam si, frater charissime, soli tibi totius Mundi peccata incumberent, tamen plurimum esset apud Deum gratiæ & misericordiæ, & plus satis. Deus tibi in Christo benedictionem promisit & gratiam, eaque in Christo Domino tuo rata est & certa, plena, absolutaque. Non potes non saluari, si modò in Christum oculos conieceris. Nihil salute tua certius. Nam Christus naturalis Dei filius est, in hypostasi diuina veritas ipsa: quantum ad humanitatē, sanguis & caro nostra. Quis ad promissionē gratiæ donandam & exoluendam certior erit hoc Christo? qui ipse veritas eius promissionis, quiq; nos afflictim & ardentissimè amat, adeò vt mortem oppetere maluerit, quàm promissione vlla nos frustrari. Quocirca, si in Christum credideris, iam benedictionis diuinæ confors factus, iam peccatorum tuorum sarcina leuatus, iam

hæres

ANIMAE.

hæres Dei & cohæres Christi es in omne æuum. Quippe, cœlum & terra transibunt, Verbum autem Domini manet in æternum. Crede itaque, frater mi, bonaq; spe animum erige, nec dubita, Teu illum maximum & optimum, etiam tibi, hoc est, ob tuam salutem, hominem factum, etiam tibi natum, tibi in Cruce mortuum, tibi à mortuis surrexisse, & cœlos ascendisse, eaq; quæ promissa nobis erant, vniuersa præstitisse & obtulisse.

Quotquot sunt promissiones Dei, per Christum sunt etiam, & per ipsum amen.

II. Corinth. I. Quapropter à Deo expete & expecta aliud nihil, quàm meram gratiam, & misericordiam, eamq; propter & per Christum. Siquidem extra Christum nulla est consolatio, nulla salus, nulla spes, nullum auxilium. In vnico hoc Christo, omne solamen, omnis refocillatio, omne præsidium & subsidiũ, breuiter tota salutis nostræ ratio, omnis in illo gratia & misericordia, multò & in infinitũ maior, vberior, & sublimior, quàm quisquam hominum queat vel comprehendere vel optare. Deus nobis fidem firmam & constantem largiri dignetur.

F 2 IN hanc

M E D I C I N A

IN hanc formam, vel prolixiore, vel succinctiore oratione, prout res poposcerit, ægrotantē consolaberis. Ac moneo frater in Domino, vt quanto conatu studioq; potes, ab horrenda atq; terribili peccatorum & Mortis cōtemplatione animum auoces, inque solum Christum omnes intendas cogitationes, in hunc oculos mentis figas, huic toto pectore adhærescas, hunc imbibas, hūc plena animi fiducia inuoces, huic te totum committas. Siquidē in hoc Christo nihil inuenies aliud, quàm summam innocentiam, iustitiam, vitam & salutē, quæ omnia à Christo in te deriuata, tua iā sunt, si modò christum vt salutis tuæ authorem & redemptorem agnoscere volueris. Quare iterum iterumq; moneo, totiesq; inculco (nec id temerē,) ne peccatorum memoriam apud animum tuum renoues, perpendensq; eorum multitudinem atque magnitudinem te excrucies. Peccatis procul ablegatis solum christum crucifixum pone ob oculos, hunc cordi tuo infige, in hoc sit totus animus tuus, & sensus tui, ad hunc plena fiducia confuge, huic mordicus & diuulsē toto pectore adhære. Hac ratione aduersus inferorum portas quantumuis
diras

A N I M A E.

diras illas, quantumuis sæuas terrificasque præualebis ac subſiſtes, Reuoca in mētē tibi quanta humanitate, quanta clementia, quanta comitate & benignitate chriſtus in euangelica hiſtoria omnes peccatores, qui pœnitentia acta veniam expetiuerunt, opemq; ipſius implorauerūt, ſuſceperit, tractaritq;. Inuenies Magdalenam, inuenies Latronem cruci ad dextram affixum, inuenies Publicanum, inuenies Zachæum, alios que, quos inſigni humanitate ſuſceptos, à peccatis, quanuis grauibus, liberos pronuntiauit. Chriſtus enim ipſiſſima eſt gratia, miſericordia, auxilium, conſolatio, vita, gaudium, & ſalus omnibus iis, qui hæc ab ipſo expectant, & fiduciam ſuam in ipſum collocant. Deus omnia hæc propter Chriſtum promiſit, qui veritas eſt, & mentiri non poteſt. Nunquam itaque nos fallet, nunquam frustrabitur, nunquam deſeret nos.

P O R R O periclitanti de vita occurret etiam ſicubi læſiſti, & damno affeciſti proximum tuum, vt ſi vel furto vel abſtuliſti aliquid, vel famam alicuius conſtupraſti. Hic facies idem, quod Chriſtus in Cruce, orabis pro omnibus inimicis tuis, iisque

ꝑ F 3 ex

MEDICINA

ex animo condonabis omnes iniurias. Si quid tui ablatum est furto, non reposces violentius. Si quid tu alieni subduxisti, redde, si potes, aut cura ut reddatur: nec celabis quicquam, sed confiteberis, & dolebis te peccasse, veniamq; orabis. Quod si propter fortunarum tenuitatem ablatum restituere non potes, sat erit, tu aliis condona ueris, qui vel rebus, vel corpori tuo vim, & iniuriam intulerunt, famæque tuæ obrectauerunt. Si, inquam iis ex animo condona ueris, non est quod sis sollicitus, bono sis animo, nec dubita quin etiâ remissurus sit tibi iniuriam à te alteri illatam Deus. Neque enim potest non remittere ei delicta, qui proximo condonat. Siquidem ipse docuit nos hâc compensandi & dissol uendi rationem Matth. vi. Si remisistis hominibus errata sua, remittet & vobis pater vester cœlestis.

*Medicorum opem implerare, ac
Medicinis uti ægrotus
an iure possit.*

Medicorum opem nec aspernetur,
nec adoret ægrotus. Sûma spes fixa
sit in Deo, qui ut solus inferit animam cor
pori,

ANIMAE.

pori, ita solus eximit cū vult. Interdum tamen accersendus Medicus, ne videamur tentare Deū. Nā cū remedia per se nec salutem efficiant, nec morbos, tamen cū à Medico natura prudente, & in rationali methodo probè exercito exhibentur, Deorum manus, & salutaria iure vocari possunt, Herophilo teste. Quod & sacra Scripturæ testantur. Scriptum est enim *Honora Medicum* : propter necessitatem etenim illum creavit Altissimus. Altissimus creavit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam. Sortilegi, incantatores, atque impostores pij, qui falsis orationibus ac preculis ægrotis mederi volunt, tanquam pestes fugiendi & profligandi sunt : veneficæ enim & cacodæmonum manus sunt, non Dei omnipotentis, cuius verbo & virtute omnia regi & gubernari debent.

Eccle. 38.

*Cū Mors terrorem inijcit
quid agendum.*

Cogitabis mortem per Christum de-
uictam atq; ad internecionem deletā
esse. Ac nisi Christus nostri misertus mor-
tē pro nobis oppetiisset, mortis metus in-
genti

M E D I C I N A

genti & horribili anxietate cruciatibusque intolerabilibus nos vexaret. Verum victa iam & pefundata per Christum morte, *Mat. 10.* animæ Christo fidentium mori & interire *Philip. 1.* nō possūt, sed post emigrationē ex hoc corpore rectā ad Christum proficiscuntur. Ut audit latro ille in extremis agens: Hodie mecum eris in Paradiso. Interim corpus conquiescit certa spe ad beatissimam illam immortalem vitam, resurrectorum nouissimo die, augusta cum gloria, magnificentia, decore, vt renouatum clarificatumque vnā cum anima in perpetuum viuat cum Christo & electis omnibus, inter quos inueniuntur etiam multi, qui nobis in his terris vel amicitiae vel cognationis vinculo iuncti fuere. Ideoq; Mortem piorum sacrae Literæ somnum vocant. Idem enim hoc caducum, fragile, imbecillum, mortale & computrescēs corpus nostrum die extremo excitabitur, vt excitatur homo somno sopitus, & mox extincta abolitaq; morte apparebit incorruptibile, gloriosum, formosum, firmum, salubre, immortale, sanum, purum, integrum, & spirituale. i. Corin. xv. Hinc Psal. xvi. ait, Quā pretiosa Mors sanctorum.

HAEC,

A N I M A E.

HÆC, mi frater, apud animum tuum expende, ne seducaris, cum Mundo, qui prorsus nos mori, corpus vnà cum anima intercidere & interire, nihilq; nostri post dictum ex hac vita superfuturum opinatur.

Sed tota via totoq; cœlo errat. Neutiquā tā vile, tamq; despicabile est corpus nostrū corā Deo: summ⁹ illi honor, gloria & salus preparata & destinata est. Idē em̄ hoc corpus, q̄ circūferimus, quodq; lecto affixum morbo cōflictatur, torqueturq;, idē, inquā, hoc corpus renouatū & glorificatū vnā cū anima viuet in æternū. Quod si corporis cturā faceremus, nec vnquā id recuperaremus, neutiquam pretiosa & magnifica, sed vilis, sed horribilis, sed teterrima Sanctorum mors esset. Quocirca, non oscitanter hæc expendens, animum vacillantem, bona spe erectum, Scripturæ sententiis fulcies. His crede, nihilq; addubita.

Certa sunt & indubitata, quæ dico. Vt Christi corpus in tertium vsque diem sepultum, tertio die resurrexit, ad nouam & æternam vitam, nunquam denuò mortuū: ita & omnium corpora, qui in Christo obdormierunt, hoc est, qui in Christum crediderunt, quiescūt in monumentis ad tem-

F 5 pus

M E D I C I N A

pus dūtaxat spe certissima lætissimæ & pulcherrimæ resurrectionis, resurrectione die illo nouissimo in nouam & perpetuam vitam, vbi nec peccatum, nec mors vlla erit, nec vlla calamitas, sed nihil aliud, quam iustitia, innocentia, vita, gaudium, beatitudo, salus in secula seculorum. Promisit hæc Deus, qui infinitæ potentiæ est, qui veritas ipsa est. Fient itaq; indubiè. Huius promissionibus fide, mi frater.

Porrò testimonia scripturæ de Carnis resurrectione diligenter meditāda, diligenter animo inculcanda sunt. Docet nos hoc Paulus, tistiusmodi sermonibus de resurrectione mutuò nos firmantes, animos cōsolationibus erigamus. Nec vllæ certiores, nullæ vberiores cōsolationes dari possunt, quàm quæ ex scripturæ testimoniis de resurrectione petimus. Non humana verba sonamus, sed Dei, qui certò potenterque præstabit, quæ locutus est. Nemo Dei voluntatem immutare, nemo illius propositum & sententiam impedire aut remoueri potest. Immensæ est potentiæ, verax est & fidelis, inexhausta bonitas & misericordia. Nemo itaque de hoc ambiget.

Testi-

ANIMAE.

Testimonia de resurrectione mortuorum.

Matth. xiii. Iusti fulgebunt vt sol
in regno patris fui.

IOAN. v. Amen amen dico vobis, qui
sermonem meum audit, & credit ei, qui mi
sit me, habet vitam æternam, & in condem
nationem nō veniet, sed transiit à morte
in vitam.

IOAN. vi. Hæc est voluntas patris mei,
qui misit me, vt omnis qui videt filium &
credit in eum, habeat vitam æternam, &
ego suscitabo eum in nouissimo die.

IOAN. viii. Amen amen dico vobis, si
quis sermonem meum seruauerit, mortem
non videbit in æternum.

IOANNIS xi. dicit Christus Lazarum
dormire, qui tamen expirauerat, cuiusque
cadauer iam sepulchro mādātum erat: sed
Christus vitæ reddit mortuos, & vocat ea
quæ non sunt vt sint. (Ro. iiii.) Itaque
subdit, Ego sum resurrectio & vita: qui
credit in me, etiam si mortuus fuerit, vi
uet. Statim post hæc verba excitāt Laza
rum, putrescentem iam quatrduanum &
olentem.

Et quia

MEDICINA

Et quia natura in his agonibus pusillanimis fumus & meticulosi, ut ad credendum, quod futura sit resurrectio, adminiculi plus haberemus, multi à mortuis ad vitam sunt reuocati temporibus Prophetarum & Apostolorum. Christus excitat à mortuis viduæ filium (Luc. vii.) Excitat & principis synagogæ filium (Luc. vii.) Excitat & Lazarum (Ioann. i) Petrus item vitæ restituit Tabitham (Acto. ix.) Paulus Eutychum (Acto. xx.) Eliseus Propheeta hospitæ suæ filium (i i i, Regum iii.) Elias Propheeta Sareptanæ puerum (i i i, Regum x v i i.) mortuum ad vitam reuocat. Deus item duos illos maximos & sanctissimos viros, Enoc (Genesis v, & Elia i i i, Regum i i.) viuos, vnà cum corpore & anima, ex hac fragili, & misera vita raptos assumpsit ad se, ut per illos significatiõem aliquam futuræ & veræ vitæ daret, ne iuxta Ethnicorum & Epicureorum opinionẽ, & nos post hanc calamitosam vitam, nihil nostri superesse crederemus.

Porro commonefacies pusillanimum egrotũ, ut cogitet, quid maximus ille & potentissimus Dominus mortis & vitæ, Iesus Christus dicat Lucæ v i i. Nolite flere, nõ est

ANIMÆ.

est mortua puella, sed dormit. Ratio incredula non intelligens Dei mysteria deridet hæc. Verùm Christus verbis fidem addens, simul cum dicto puellam mortuam vitæ restituit. Hic idem Dominus Iesus Christus animam tuam accipiet, custodiet quæ, & nouissimo die animæ corpus reddet, copulabitq; ad vitam æternam.

IOAN. v. Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius: & prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ. Rom. vii. Quòd si spiritus eius, qui excitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, is qui excitauit Christum ex mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter ipsius spiritum inhabitantem in vobis. i. Corin. v. Deus christum dominum suscitauit, & nos suscitabit per potentiam suam. Caput decimum quintum primæ ad Corin. dulcissimis & efficacissimis cõsolationibus refertum est, ideo nullo auro æstimabile. In eodem Cap. Paulus resurrectionem nostram ita annectit affigitq; Christi resurrectioni, vt separari & diuelli inde non possit, in hanc sententiam: Christus resurrexit à mortuis (id quod est certissimum) ergo citra dubium resurgemus,

M E D I C I N A

gemus & nos. Christus enim est caput nostrum, nos membra. Caput hoc non est sine membris suis, nec relinquit & deserit membra sua. Vbi Christus est, ibi erimus & nos: sumus enim membra corporis eiusdem, ex carne & ossibus eius. Quis immeritam illam gloriam inestimabilis & ineffabilis gratiæ misericordiæque pro dignitate satis de prædicare potest, quod Deus è cœlis se demittens ad infima, dignatus est homo fieri mortalis, ut caduca hæc & fragilis hominum naturæ diuinæ naturæ vnita, ad vitam immortalem, per infinitam & incomprehensibilem diuinitatis vim atque efficaciam regni cœlestis cōfors facta, proueheretur? Si crederemus tantas diuitias nobis donatas, & tam beatum vitæ genus nos manere, qui, quæso, animo consternari & angari possemus? Natura omnium fidelium, qui & ante & post Christum fuerunt & futuri sunt, extra dubium in Christo vero homine & vero Deo immortalitatem induit. Vberissima itaque & efficacissima est consolatio de resurrectione Christi, qua Paulus Corinthiorum animos firmat, ubi inquit: Christus surrexit à mortuis, primitiæ eorum, qui dormierunt, fuit. Postquam enim per hominem

A N I M A E.

minem mors, etiam per hominem resur-
rectio mortuorum. Quemadmodū enim
per Adam omnes moriūtur, ita & per chri-
stum omnes viuificabuntur, vnusquisq; au-
tem in proprio ordine: primitiæ Christus,
deinde ij, qui sunt christi. Addit hic Pau-
lus similitudinem de rebus naturalibus, vn-
de corporū resurrectio clarè & manifestè
percipi & declarari potest. Sumpta est autē
similitudo à semine, quod ab agricola ari-
dum in terram proiectum, moritur quasi,
computrescitq;. Non tamen prorsus perit
terræ mandatum: sed prodit è terris amœ-
na, eleganti, lætaque forma, ac specie nouū
& recens: Sic & corpus nostrum resur-
get nō corruptibile, caducum, fragile, flac-
cidum interitumque, vti nūc est, sed spe-
ciosum, elegans, formosum, forte, vi-
ribus integris, & immortale in vitam æ-
ternam.

Hæc est via per mortem hanc corpora-
lem in veram & æternam vitam, in veram
patriam. Caro & sanguis hæreditatem reg-
ni dei, in quo nihil nisi vita est, cōsequi nō
potest. Atque ob id oportet corruptibile
hoc corpus induere incorruptibilitatem,
& mortale hoc induere immortalitatem.

Tunc

MEDICINA

Isaia 25. Tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoriam. Qui credunt in Christum, iam peccatum, mortem & inferos vicerunt: ideò mortem contemnentes, & in Christo iam fortes & animosi dicent. Vbi tua inferne victoria? Aculeus mortis, peccatū est: potentia peccati, lex. Sed laus Deo qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Addemus & alias sententias plenas vberima consolatione. I. Corinth. I I I I. Qui Dominum Iesum christum suscitauit ex mortuis, suscitabit & nos. ad Pphil. I I I. Nostrium politeuma in coelis est, ex quo & Seruatorem expectamus Dominum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrum humile, vt conforme reddat corpori suo glorioso secundum efficaciam, qua potest etiam subiicere sibi omnia.

COLO S. I I I. Emortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Quando cunq; Christus manifestatus fuerit vita vestra, tunc & vos cum illo manifestabimini in gloria. I. Thes. I I I I. Nolo vos ignorare fratres de his, qui obdormierunt, ne doleatis, quemadmodum & cæteri non habentes spem. Nam si credimus quòd Iesus

A N I M A E.

Iesus mortuus est, & resurrexit, sic & deus eos, qui obdormierunt per Iesum, adducet cum illo.

Solatur & Paulus Timotheum discipulum articulo resurrectionis, his verbis : Memento Iesum Christum resurrexisse à mortuis, ex semine Daud, secundum Euangelium meum. Si commortui sumus cū Christo, & conuiuemus : si sufferimus, & conregnabimus. Hebræorum. **I I.** dicit Christum per gratiā Dei pro omnibus gustasse mortem. Et ibidem ait, Christum participem factum carnis & sanguinis, id est, verum hominem fuisse, vt per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperiū, hoc est, diabolus : & liberos redderet eos, quicunq; metu mortis per omnem vitam obnoxii erant seruituti.

II. T I M. I. Deus saluos fecit nos, & vocauit vocatione sancta : non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiā, quæ data est nobis per Christum Iesum ante tempora æterna : sed palàm facta est nūc per apparitionē seruatoris nostri Iesu Christi, qui mortem aboleuit, vitam in lucem produxit, ac immortalitatem. **I. I O A N. I I I.** Scimus, quòd translati

G flati

M E D I C I N A

flati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres. I. I O. III. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quod filium suum vnigenitum misit Deus in Mundum, vt viuamus per eum. Iob x i x. Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Et rursus circundabor pelle mea, & in carne mea videbo deũ. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.

Hæc Scripturæ testimonia qui diligenter meditatur, non potest non maxima consolatione ingentiq; lætitia affici. Eius rei exemplum nobis euidentissimum esse Paulus potest, qui ex animo gaudens gratulatur sibi, quod cognouerit Christum & potentiam resurrectionis illius, per quã mors nostræ morti illata est. Nunc itaq; mors iis, qui credunt in Christum, mortua est, nihil nunc in morte terribile est, quod formidandum & extimescendum sit, præter imaginem & speciem, perinde vt serpens extinctus, pristinam quidem, & terribilem illam imaginem suam obtinet, cæterum ad lædendum nihil in se virium habet. Et quæ admodum per æneum illum serpentem à Mose in deserto erectum diuini verbi potentia

A N I M A E.

rentia cùm inspiceretur, viui serpentes moriebantur, nec Iudæi viuētium serpentum veneno infici poterant : ita & mors nostra moritur, fitq; innoxia, & minimè metueda, si saluificam Christi mortem oculis fidei fuerimus contéplati. Breuiter, mors assimilis imagini & vmbra mortis, imò veræ vitæ initium & aditus est. Christus, qui veritas ipsa est, ait: Si quis sermonem meū seruarit, mortem non videbit in æternū. Qui, quæso, hoc fit? Dicam:

Homo Christi misericordia fidens, propter fidem ex Euangelio haustam, Christo Domino suo, qui vera est vita, sic incorporatus est, vt ita dicam, & sic vnitus & copulatus, vt ab eo separari & diuelli non possit. Hoc itaq; corpus ab anima seiūgitur, in spe minimè dubia resurrectionis gloriosæ ad vitam æternā. Quippe intra breue tēporis spatiū corpus animæ redditur, vt perfruat æternis gaudiis. Atq; ita in Christū credēs, æternam mortē corporis & animæ, hoc est, æternam damnationē & veram mortem non videt. Siquidē piorum mors, emigratio & profectio est ex vita hac mortali in immortalem ad Christum, ad Angelos, ad Sanctos omnes.

G 2 Cùm

M E D I C I N A

*Cùm infernus seu Damnatio æterna
na occurrens terret.*

Spiritus ille maleuolus, mirificam homi
ni de prædestinatione sui sollicitudinē
iniicit, diras has & horribiles cogitationes
suggerens: Quid si Deo non placeres?
Quid si te reieciisset? Qui scis te esse ex illo-
rum numero, quos ad vitam æternam ele-
git Deus? Hæc ac similes tentationes lon-
gè sunt durissimæ, grauissimæq; animum
discruciant & angunt. Quapropter omni
hîc pede, quod dicitur, stes, constanterque
in hac acie partes tuas tuearis, necesse est.
Porrò si victoriam obtinere in prælio
hoc volueris, hoc stratagemate, hac arte il-
lum aggrediaris oportet. Mox ubi hæ ten-
tationes tibi à satana immittuntur, caue
descendas cum illo in disputationem, caue
cum illo te cōmittas, illiq; ex aduerso res-
pondeas: verùm his verbis cogitationibus
que protelatum à te repelle: Aufer te hinc
satana, abi in rem malam. Scriptum est, Nō
tentabis Dominum Deum tuum. Cùm
Deus semper pro paterno suo in me ani-
mo maximis & infinitis beneficiis me affe-
cerit, cùm uita hac me donarit, eamq; ha-
ctenus fouerit ac seruarit, cùm bonis omni
genis

ANIMAE.

genis cumularit, quæ esset dementia de illius misericordia addubitare? Cùm me per Baptismum in gregem suorum receptum albo Christianorum ascripserit, cùm ad Euangelium gratiæ suæ, in quo se futurum patrem meum promisit, me vocauerit, qui non optima quæque ab ipso expectarem, summaq; mihi de ipso pollicerer? Qui nõ esset propensissima & obuia expositissima quæ illius in me voluntas? Quid multa? Stultissimum est & periculosum indulgere his cogitationibus de prædestinatione. Porro autem cogitationes has aliis obrues & anteuertes, quibus Deus tuum animum occupari vult, videlicet iis, quas Christus ipse præscripsit, vbi inquit: Qui credit in Christum, non perit, sed habet vitam æternam. Audin' quòd is, qui credit in Christum, qui Christum sanctificationem, salutem, & iustitiam suam agnoscit, damnari non possit? quodq; sit salutis & vitæ æternæ consors futurus? Quotquot itaq; misericordiæ christi fidunt, extra controuersiam è numero sunt eorum, qui electi sunt ad vitam æternam, in Christo præsciti & prædestinati, iam olim in librum vitæ conscripti. At qui prædestinati sunt ad vitam æternam,

102111.3.

G 3

M E D I C I N A

nam, ij imaginī Christi conformes fiunt. Fidem autem, ob quam coram Deo iusti reputantur, non nisi ex verbo Dei concipiunt. Hac itaq; fide, hoc est, fiducia misericordiæ gratis propter Christum donatæ saluantur. Certissima hæc sunt, & longè verissima. Deus nec falli potest, nec fallere quenquam. Consilium hoc est Dei patris benignissimi & verè philanthropi.

Rom, 8. Hæc sic ab æterno proposuit, sic præsciuit, sic præfiniuit. Non est igitur, quòd temorentur aut perterrefaciā teā, quæ hostis ille salutī nostræ inuidens, exitium animæ nostræ moliens suggerit, hisque opponit. Fac modò credens Christo fiducia misericordiæ te erigas, nec quicquā erit, periculi. Nam si spem & fiduciam tuam figis in christum, christus tuus est, & tu Christi es. Hoc te redimente perire &

Ioann. 6. damnari nullo modo potes. Siquidem

Ioan. 10. Christo credentes, per patrem pertrahuntur ad Christum. Per eundem eos saluari, nec quenquam ex iis perire vult. Quapropter fac forti sis animo, fac constanter credas, & bonam spem de Christo concipias. Quicunq; in Christum credunt, iidem ad vitam æternam prædestinati sunt.

In

ANIMAE.

In Christum itaque oculi intendendi, ad illum confugiendum, hic vnicus & verus seruator noster apprehendendus fide est, si saluari voluerimus. Hic vnusquisque diligenter expendat seriam illam exhortationem Pauli, cuius verba hæc sunt, Per to *Hebr. 12.* lerantiam curramus in proposito nobis certamine, respicientes ad fidei ducem & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio pertulit crucem, ignominia contempta, & ad dextram throni Dei consedit.

Porro omnes tentationes, quibus vexatus est grauissimis Christus, nostra causa pro nobis pertulit: teste eodem Paulo Hebræ. II II. Non habemus Pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatū nostrarum, sed tentatum per omnia iuxta similitudinem absque peccato. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, vt consequamur misericordiam, & gratiam inueniamus ad opportunum auxilium. Hæc, frater mi imprime animo tuo. Datus est nobis Christus primū in hoc, vt nos redimeret, reconciliaret, & salutis æternæ participes faceret: deinde, vt esset exemplum nobis ad vitam piē tum

G 4 exigen-

M E D I C I N A

exigendam, tum defungendam. Quòd si itaq; piè & feliciter diem tuum obire voles, fac Christi morte tibi ob oculos posita, ad illius exemplum & tu vitā finias. Quippe Christus propositus est nobis exemplū imitādū in vita, in omni afflictioe, in morte. Nemo piè viuet, nemo afflictioes perferet, nemo mortē feliciter subibit, nisi chri vitam & mortē sibi ppositā, imitat⁹ fuerit. Chri morte omniū piorū mors absorpta est & abolita. Quocirca cōsiderabis & mediteris diligēter quale mortis genus habuerit, quomodo in agone illo lōgè omnium acerrimo gesserit sese, cū pendens in cruce grauissimis tentationibus obrueretur. Hunc Christum imitare inuocato Dei auxilio.

*Christus
in cruce
pendens
quo mo-
do tenta-
tus.*

PRIMO, tentabatur morte, cū obii- ceretur illi: Alios seruauit, seipsum non potest seruare. Ac si dicerent: Iam actum est cum illo, Moriendum est illi, & pereūdum omnino. Nemo eum manibus nostris extorsum liberabit. Ad hunc modū tibi quoque hostis ille noster irreconciliabilis terrorem mortis incutiet. Sed tu contrā audētior ito. Collige animum, eumq; spe bona confirmato. Christus hostem istū victum pessun-

A N I M A E

pessundedit. Vinces & tu eūdem per christum. Obtende scutum fidei in Christum. Dominus tuus Christus, rex gloriæ, idemque Dominus vitæ, nō factus est morti obnoxius, sed viuit & regnat. Hic Dominus & vindex tuus, viuens & regnans non destituet te, non patietur, vt illam in te tyrannidem mors exerceat. Frustrari te non potest, nec mentitur, cū veritas sit. Hanc de illo fiduciam concipe, optima tibi de illo pollicere, viuesq; cum illo in omne æuum. Quòd autem vult te tentationibus conflictatum, mortem corporis subire, id omnino tua causa sit. Neque enim alia via in veram illam & eternam vitam transmigratur, quàm per corporis mortem. Relinquenda itaq; & deponenda est hæc vita, si æterna potiri volueris. Ita post vitam hanc, incipies demum verè viuere. Præterea prodest etiam ad hoc mors hæc corporalis, vt degustata eius amaritudine & acerbitate, experiaris & agnoscas, quàm ardens fuerit Christi in te amoris affectus, quàm inestimabile beneficium in te cōtulerit, cū pro te mortem oppetens, suo corpore dependeret & expiaret omnia delicta tua, morte in totū extincta & abolita, portisq; inferorum

M E D I C I N A

rum deiectis, subuersis, conquassatis. Nunquam enim experiri aliter & intelligere potuisses, quanta esset energia & potentia vitæ in Christo, quæ mortem nostram absorpsit, nec beneficij magnitudinem agnouisses, nec tam ardentem gratias egisses Christo Domino & redemptori tuo. Quocirca uiuente Christo, viues & tu, eritq; tibi mors hæc somnus quidam felix & salutaris, aditusque & ianua in veram & beatissimam illam vitam.

SECUNDO, Tentabatur Christus etiã peccato, vt homo scelerosus & grauissimi criminis reus, cùm exprobraretur illi: Si filius Dei es, descende de cruce. Seruasti alios, quin seruas & te? Hæ contumeliosæ voces quid aliud sibi volût, quàm quod iudicarint illum fraude, doli, vafritie, technis, & artibus malis imposuisse hominibus, nihilque minus esse quàm Dei filium, imò hominem scelestissimum, improbissimũ & teterimum? Assimiliter hominem iam de vita periclitantem tentans satan, quicquid vnquam contra Deum admissum est ab illo, offert, totaque peccatorum plaustra illius animo suggerit, eaq; in immẽsum exaggerata, vt atrocitate

A N I M A E.

citare & magnitudine peccatorum de misericordia Dei & venia hæsitantem, ad desperationem adigat. Et hic pede fixo fortiter resistens, hoste impetente te, his verbis excipies: Fateor me maximè & grauissimum peccatorem esse. Verùm christus nullius peccati reus, agnus ille insons, in cuius ore dolus inuentus non est, propter peccata mea diram mortem passus est, ab illo omnia expiata sunt, quantacunq; & quocunq; sint, pro omnibus abudè satisfactum est. Mors Christi etiam meorum peccatorum propitiatio est. Christus verè languores meos tulit, Christus verè dolores meos ipse portauit. Vulneratus est propter iniquitates meas, attritus est propter scelera mea. Liuore eius sanatus sum. Omnia mea peccata in se transtulit. Nulla nunc ego cognosco: Christo gratias ago, qui omnino suo corpore dependit.

TERTIO, Tentatus est & inferno seu damnatione æterna, cùm obiicerent illi, Sperauit in Domino, eripiat eum: saluū faciat eū, quoniam vult eum, quasi dicerent: Omnis illū spes in Deū frustrabitur: Deus illū auersatur, atq; obomiuatur, & ad inferos detrusum in perpetuū damnabit. Cū &
te eius.

M E D I C I N A

te eiusmodi tentationibus Tentator ille la-
 cessit, caue pedem loco moueas. Non est
 quod contremiscas nihil extimescas. Ni-
 hil moueant te quanuis grauia quæ offert.
 Excute animo, & procul relega à te tā pec-
 catum, quàm mortem & infernum. Nihil
 in te iuris habent, si in Christū oculos con-
 ieceris. Hunc apprehende, huic totum te
 commenda. Christus tuus est, totum se ti-
 bi Chrs impendit. Hic è tyrānide Diaboli,
 ac æterna damnatiōe, inæstimabili pretio
 te redemit. Chrs hic est innocentia tua, &
 vita tua, & iustitia tua. Caue modò ne cor
 tuū à chro crucifixo tētationibus vllis auo-
 cetur. Si huic Christo adhæseris, tanquam
 in excelsam & firmissimā, atq; insuperabi-
 lem petram collocatus, tutus es aduersus
 omnes inferorum portas, vt cum Christo
 exclamare possis : Prouidebam Dominū
 in conspectu meo semper: quoniam à dex-
 tris est mihi, ne commouear. Propter hoc
 lætatum est cor meum, & exultauit lin-
 gua mea: insuper & caro mea requiescet
 in spe. Notas mihi fecisti vias vitæ: adim-
 plebis me lætitia cum vultu tuo, dele-
 ctationes ad dextram tuam vsq; in finem.
 Per talem fidē in Christum, filius Dei fra-
 ter,

Psal. 16.

A N I M A E.

ter, & cohæres Christi, vitæq; æternæ con- *Gal. 3*
 fors es. Hæc fides iustificat iustos, hoc est, *Ioan. 1.*
 in Christum credentes. Propter hanc fidē *Mat. 25.*
 benedictus filius cœlestis patris es, & emi-
 grans hinc, proficisceris in regnum cœlo-
 rum, electis filiis ab exordio Mundi præ-
 paratum.

Quòd si verò in tentationibus nutat &
 vacillat fides tua, cumq; voluntatem Dei
 patris non satis patienter moderateq; fers,
 cùm dilectio tua erga Deū subfrigida, cùm
 spes infirma & tenuis est metuisq; ob id, ne
 satis bene conueniat tibi cū Deo, neve eum
 habeas infensum. Hæc sanè grauissima &
 laboriosissima difficillimaque est tentatio.
 Sed tu, mi frater, apud te cogitabis, tibi que
 persuadebis, quòd Christus propter te in-
 tolerabilem & inuincibilem tentationem
 sustinuerit, in qua apparebat nullū vsquā
 auxilium, solatium, subsidium aut patro-
 cinium, in qua visi sunt Deus, totusq; Mū-
 dus atrocissimi & infensissimi hostes esse,
 cùm exclamaret: Deus meus, Deus meus,
 quare me dereliquisti? O horribilem &
 durissimam tentationem hanc. Bone Deus,
 quàm fuit acerba, quàm grauis, quàm du-
 ra, quàm amara mors illa, quam pro nobis
 subiuit,

MEDICINA

subiuit, vt viâ crucis nobis facilẽ redderet. Cùm itaq; Christus vltro his tam horribilibus intolerabilibusq; anxietatibus & calamitatib⁹ sese subiecerit, immerſeritq;, volẽte hoc cœleſti patre noſtri amantiſſimo, haud dubiẽ ſcit & agnoſcit noſtram etiam infirmitatem, haud dubiẽ noſtri miſertus ſtricto iure nobiſcum non aget, & multa imbecillitati noſtræ condonabit. An non ipſe adeò omnes ad ſe inuitans, Venite, inquit omnes ad me, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Quæ, quæſo, vberior conſolatio, quæ maior vlla dari poſſet? Multa quidem & valde grauia hominem moleſtant, & angunt. Quid, quæſo, grauius terrere, quid crudelius diſcruciare & torquere conſcientiam hominis peccatis obruti poteſt, quàm cum dubitat de Dei miſericordia, cùm metuit ne auerſetur ipſum Deus, & à ſe reiiciat, cùm fidem ſeu fiducia hanc miſericordiæ concipere non poteſt, & ſe vt membrum aridũ amputatum & reiectum iri imaginatur? Hic adſis Ieſu Chriſte præſens auxilio & ſubſidio tuo: hic reſocillatione opus eſt, nec atra hæc & violenta horridaq; fluctuum tempeſtas miſerum hominem obrutum demergat. Sed
non

A N I M A E.

non est quod ambigamus : non est vanus christus, promissa apparere faciet, iuuabit, & refocillabit nos. Vbi itaque non satis firma est fides tua, vbi formidine & paucis concutitur pectus tuum, vbi te de misericordia Dei addubitare, adeoq; nulla fide præditum esse sentis, confestim Deum inuoca, apud illum misericordiam & incredulitatem tuam deplora, illius opem ardētibus votis expete, & reficiet iuuabitq; te, hincq; illum glorificatum prædicabis. Recepit se hoc facturum, & faciet, tu modo caue ne inuocare cesses. Indefinenter suspiriis ex imo pectore ductis patrem illum omnis consolationis implora, ne auertat à te faciem tuam. Tuam illi imbecillitatem, adeoque omnia, quæ te angunt & cruciant, in illius sinum effunde. Exclama cum discipulis: Domine, adauge mihi fidem. Item, cum patre Lunatici: Credo Domine, succurre incredulitati meæ. Domine ad adiuvandum me festina, antequam mole hac depressus submergar. Misericordia tua super omnia opera tua. O clementissime, ô benignissime pater, Domine Deus salutis meæ, susceptor meus & refugium meum, ne intres in iudiciū cū seruo tuo.

M E D I C I N A

tuo. Christus iustitia mea est, & redēptio, & innocentia mea, qui propter me acerbissimam, & crudelissimam mortem obire sustinuit. Moueant te hæc, ô pater omnis misericordiæ. Propter hunc Christum filium tuum miserere mei, confirma & corrobora cor meū fide in Christū, consolare me consolationibus Spiritus sancti, vt potiar gaudiis veris in Christo in perpetuum Amen.

Ad hunc modum laborans, luctans, & pugnans cum imbecillitate tua, incredulitatemq; & pusillanimitatem tuam accusans, & deplorans apud Deum, si Christum apprehenderis, ei que apprehenso tenaciter & mordicus adhæseris, votis flagrantibus & indefessis auxiliū expetēs oransq; vt ipse in tuū se locū substituens ea, q̄ tibi desunt, suppleat. Si hæc feceris, tunc oīa se optimè habēt. Tūc bene & præclarè tecū agitur, nihil est periculi, salua res est. Siquidē hæc duo, credere in christū, & votis ardentibus fidē expetere, non multū inter se distant. Sis licet imbecillis & pusillo animo præditus, hoc te tamen soletur & erigat, quòd Deus mandat & vult se inuocari, quodq; promissit se inuocatum, exauditurum, & auxilio suble-

ANIMAE

subleuatnrũ. Porro, vt nihil iustius à deo
 petitur, quàm vera fides, ita nullam oratio-
 nem exaudit citius aut libentius, quàm eã,
 qua homo nihil in se boni inueniens, suam
 infirmitatem, suam tenuitatem & miseriam
 agnoscens, suam incredulitatem deplorãs
 & deuouens, effundit, anxiis & creberrimis
 suspiriis, ardentissimisq; votis fidem expe-
 tens. Hæc suspiria, hæ orationes, hæc exi-
 gua & quantulacunq; fides, profectò scin-
 tilla est clara & pia, semen Dei, quæ non ni-
 si Deo operante & efficace in nobis exori-
 tur, qui per Prophetam Isaiam ait de Chri-
 sto, Non extinguet linum fumigans, & ca-
 lamum quassatum non conteret. Quapro-
 pter fac constanter credas in Christum, vel
 certè votis ardentibus ora, vt possis crede-
 re, deploras apud Deum incredulitatem
 tuam. Hæc si feceris, nihil dubitabis te à
 Deo iustum reputari, te esse filium Dei,
 qui non temerè nec frustra Christo filio
 suo vnigenito nostram imbecillitatem, no-
 stra peccata imposuit. Apud Matthæum
 cap. v. ipse Christus ait : Beati pauperes
 spiritu, quoniam illorum est regnum cœ-
 lorum. Beati qui lugent, quoniam conso-
 labuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt iu-
 stitiam,

Es. 41.

MEDICINA

stítiam, quoniam saturabuntur. Hæc & tibi dicta sunt, frater charissime, hæc propriè in te competunt. Mœres & angeris ob vitam malè actam, ex animo doles, sitis & esuris iustitiam: confide, bono sis animo, quæ concupiscis, accipies, iamq; es iustus coram Deo per Christum. Hinc exemplo Christi & Stephani, Spiritum tuum manibus Dei patris commendabis, in hæc verba: Commendo, ô pater clementissime, in manus tuas spiritum meum, imò tuum spiritum, cum tu eû corpori inditum ad tēpus mihi commēdaris, cum propria tua imago sit, & simulacrum ad tui similitudinē effectum, cum propter eundem redimendum vnigenitus filius tuus sanguinem suū pretiosissimum profuderit. Hunc, inquam, spiritum tuū iterum iterumq; commendo in manus tuas, ô pater indulgentissime, ô Deus omnis misericordiæ. Tuus sum, quantus quantus sum, tuū quæso suscipias, serues, & vita æterna dones, per Iesum christum filium tuum vnigenitum, Dominum nostrum. Amen, Amen.

De Testamenti ordinatione, & peccatorum confessione.

Cum

ANIMAE.

CUm adhuc mens sana cōsistit in corpore, Testamentum cōdendum est, iis, qui legare sua, testariq̃ue iure possunt: ne si ad extremum vsque vitæ momentum id differant negotium, morte præoccupentur. Igitur qui legitimos habet hæredes, cōsultum fuerit, vt omnem curam testamentorum ad illos releget. Quòd si alienum æs conflauerit, obæratúsq; cuiquam fuerit, id apertè explicet, dissoluendaq̃ue debita curet. Hoc peracto submoueat omnes de rebus huius seculi obstrepentes. In quo supra modum peccant complures, qui iã animã agenti ingerunt scrupulos de testamento deq; rebus externis, interdum & moriẽtem cogunt subscribere, idq̃ue detrectantem & inuitum ac detestantem illorum importunitatem, per quos mori nõ liceat. Quibus amicis quid esse potest inimicius? Dein si morbi ratio patitur, Animẽ prius quàm corpori mederi studeat per exomologesin breuem, sed synceram & fuci expertẽ, & à Sacerdote cū plena fide summaq; reuerentia pœnitentię remedium accipiat, ex intimis præcordiis dei misericordiã imploret,umatq; vitæ castigationis propositum, si contingat reualefcere. Quòd si

H 2 fortè

M D I C I N A

fortè non est parata sacerdotis cōpia, ne protinus (quod solent superstitiosi quidā) trepidet, ac despondeat animum: sed ipsi Deo ex corde confiteatur iniustitiam suam, qui pro sua clementia mentis affectū pro facto dignabitur accipere, & quod deest externis sacramentorum signis, de suo supplere peculiari gratia. Per illum quidem efficacia sunt omnia sacramenta, quæ quodammodo signacula sunt diuinę erga nos beneficentię: sed idem absque signis quum opus est, consulit hominum salutem, tantum ut absit negligentia & contemptus sacramentorum, adsit autē fides & prompta voluntas.

De sacramento Eucharistię & extrema Vnctione.

A Nimō expurgato per veram & integram exomologēsin deo & sacerdoti ritè factam, augustissimum Eucharistię sacramentum obnixè sibi deferri petat ægrotus: caueatq; in primis, ne illotis manibus Synaxin seu Mensam illam sacrosanctam accedat. Non enim existimandum est minas illas grauiissimas, quæ sunt apud Paulum, irritas esse. Postquam igitur pro suo captu

ANIMAE.

capto & modo se præparauerit, hæc piè meditetur & proferat: Domine, tu viaticū es nostræ peregrinationis, quo reficimur & alimur, quandiu in deserto huius Mundi versamur, & in hoc stadio decurrimus. Deduc igitur me Domine per hanc summptionem tui corporis in terram viuētium, in regionem illam viuorum, vbite facie ad faciem conspicer in gloria Patris. Hæc vbi perorauerit, sacramentum corporis Christi plena fide suscipiat in eius mortis & passionis commemorationem.

Peracta Domini cœna, si percipitur morbus ipse nulla medicorum arte curari posse, oret super ægrotum sacerdos, vngēs eum oleo, non adhibitis precaminibus magicis, quemadmodum ethnici solent, sed inuocato nomine Domini nostri Iesu christi, quo nullum est incantamēti genus efficacius. Adsit autem precibus fiducia, & audiet Deus, seruabitq; laborantem. Neq; solum restituetur ei sanitas corporis, siquidem expediat ægroto: verum si fortè fuerit peccatis obnoxius, vt plerunque morbi corporis ex animi malis oriuntur, remittetur ei ad seniorum preces, si modò fides commendet & hos, qui precantur, &

H 3 illum,

M E D I C I N A

illum, pro quo deprecantur.

*Moderandum esse dolorem, recta rationis lege, qui
propter obitum parentum ac amicorum à ple-
risque maior æquo suscipitur.*

A Biecta omni moderatione & ratiois
temperamēto, indulgere solis lacry-
mis, non est hominis Christiani, sed potius
Ethnici: quod vel hac sola ratione conuin-
citur, quoniam nullis fletibus, quamlibet
largis, & in multos extentis annos, reuocari
ad vitam possunt, qui deflentur. Inanes igi-
tur sunt & irritæ illæ lacrymæ, nullumque
parientes fructum ac vtilitatem. Quod
memorabili exemplo nobis prodidit rex
b. Reg. 12. David, qui quādiu languit infans ex Beth-
sabæe natus, ieiunauit, largasque lachrymas
effudit, & ingressus seorsum, iacuit super ter-
ram, deprecans Dominum pro salute pue-
ri. Cū primū verò accepit ex seruis ad-
inuicem musitantibus, moruū esse puerū,
reiecit vestes lugubres & squallidas, indu-
itque se cultiore amictu, faciē lauit, & posi-
ta mensa epulatus est hilariter. Id cū de-
mirarentur serui eius, putantes, quod am-
plius se esset afflictorus intellecta filij sui
morte, qui ipso adhuc superstite ieiunio &
fletu ita se emacerauerat, causamque rei illius
per-

ANIMAE.

percontarentur respondit : Propter infan-
tem dū adhuc viueret, ieiunauī & fleui, di-
cebam em̃: Quis scit si fortè eū mihi donet
Dominus, & viuat infans? Nunc autē quia
mortuus est, quare ieiuno? nunquid pote-
ro reuocare eum amplius? ego vadam ma-
gis ad eū: ille verò non reuertetur ad me.

Quibus sanè verbis sapienter ostendit Da-
uid, non esse lamentandum, nec dolendū
pro eo, q̃ recuperari reuocariq; nō potest.
Sed & beatus Cyprianus in sermōe de Mor-
talitate (cuius proximè mentionem facie-
mus) cōtestatur se diuina reuelatiōe sēpius
fuisse admonitum imò & sibi à Deo prae-
ceptum, quòd publicè commonefaceret
omnes, & prædicando doceret, non esse de-
flendos fratres, qui diuina vocatione egre-
diuntur hoc seculo: & hunc luctum Deo
inuisum ingratumq; esse.

Ne tamē faxeo adamātinoue corde videa-
mur esse, aut vita defunctū amicū remissè
tantū & vulgariter amasse, ex pietate animi
& syncero cōmiseratiōis affectu prodeūtes
lachrymas impartiamur equū est, sed recta
ratiōis lege moderatas. chr̃s em̃ dñs noster
absolutissima omniū virtutū idea, Lazarū
mortuū piè defleuit: & sanctę eius sorores

H 4 Maria

M E D I C I N A

Maria & Martha mirificè commendantur, quòd fraternum deplorauerint funus. Officiosæ etiam mulieres illæ, quæ Christo in cruce extrema patienti sedulæ astiterunt, ob id nò immeritò laudâtur, quòd ipsum mortuum & sepultum multis lacrymis sunt prosecutæ. De beato quoq; Stephano protomartyre legimus in Actis Apostolicis, quòd curauerunt illum (quântum ad sepulturæ exequias) viri timorati, & fecerunt plâctum magnum super eum, Quinetiam & ipse Ecclesiasticus, impendendas mortuis lacrymas, non tamen immoderatas nec in longum productas tempus admonet, dicens: *Act. 8.* *Eccle. 22.* Supra mortuû plora, defecit enim lux eius, Modicum plora super mortuum, quoniam requieuit. Còplures etiam Epistolæ beati patris Hieronymi consolatoriæ viuentium super morte defunctorum, ad idem negotium, quod in præsentia pertractatur, mirificè conducunt. Contendunt enim & autoritatibus scripturæ, & validis rationibus, non desleri immoderatus eos debere, qui vitam cum morte commutarunt: vt ea, quæ ad Heliodorum scribitur, de morte Nepotiani: quæ ad Paulam, super dormitione Blesillæ filię suæ

ANIMAE.

suæ: quæ ad Tyrasium, de obitu filiæ: & reliquæ eiusdem sanctissimi patris epistolæ consimilem pertractantes materiam.

Parænesis ad omnes Christi nomines professos.

NVnc vos, quotquot nomine christianorum insigniti estis, obsecro & obtestor per misericordiam Dei, ut tandem aliquando relictis pristinis & horrendis istis tenebris & erroribus, ad meliorem vitæ frugem redeatis, summo animi studio & religione verbum Dei salutare susceptum audiatis, citraque intermissionem pulsan-tes, patrem in cœlis per Christum rogetis, ut nos erudiat, & vera Christi cognitione illuminet, ut abnegata impietate & mundanis concupiscentiis, sobriè & iustè & piè vivamus in præsentī seculo, expectantes beatam illam spem & apparitionem gloriæ magni Dei, & servatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & purificaret sibiipsum populum peculiarem, sectatorem bonorum operum.

RELUXIT nobis immenso Dei beneficio, verbum illud gratiæ, lucis, & omnis

H 5 con-

M E D I C I N A

consolationis. Habemus exempla illustra
& plurima in diuinis literis, inexhaustam
Dei erga nos bonitatem, longanimitatē &
clementiā testantia: vnde videre est, quā
non velit Deus. vt perdamur sed vt conuer
tamur & viuamus, quā citò deferuescat il
lius etiā iustissima ira, quā facilè poena,
quā meruimus, supersedeat, vbi seriò pœ
nitentiam agentes de emendanda vita co
gitamus. His, ô fratres, moti & nos ad Deū
in omnibus afflictionibus confugiamus,
ab hoc indefessis precibus contendamus,
vt condonatis clementer peccatis omni
bus, propter dilectum illum filium suum
Iesum Christum, nos seruare, fouere, tege
re, consolari, breuiter in omni necessitate
præsenti auxilio adesse dignetur.

2. Reg. 24. D A V I D coniectus in extremū periculū
cū propter ipsius peccatū, pestis læuitia
septuaginta hominū millia intra dies pau
culos intercidissent, mox vbi confugisset
ad Deum confessus peccatum, orans veniā,
misericordiam Dei implorans, extructoq;
altari in Arcuna Iebusæi, holocausta & pa
cifica obtulisset, Deus propitiatus est ter
ræ, inquit scriptura, & cohibita est plaga
ab Israel. Huius exemplo & vos fratres cha
rissimi,

ANIMAE.

rissimi, confitentes peccata, implorate gratiam & misericordiam Dei, offerentes acceptum deo cordis poenitentis & contriti sacrificium, aderitq; vobis auxilio suo, nec vnquam vos deseret.

ITIDEM & misso Iona minatur deus fenici Niniuen populosissimam & clarissimam urbem euersurum: sed mox vbi ad concionē Ionæ poenitentiā egissent Niniuitæ, misertus eorū Deus culpa cōdonata, supplicium remisit. Horum exēplum imitādum proponite fratres. Ne diffidatis Dei misericordia, nōdum etiā abbreviatū est brachiū Dei. Et vult & potest iuuare nos, modò gratiā oblatam non respuētes, illius auxilium inuocauerimus. Nōne per Paulum palām testatur & proclamat, se diuitē esse in omnes inuocantes se? Rom. x.

Hoc, quicquid est scripti mei dilecti in Domino fratres, quo imbecille membrum ego, vobis reliquis membris, in domino (quantum per temporis angustiam, & affecti corporis valetudinē parum commodā licuit) prōdesse volui, boni consulatis etiā atque etiam rogo. Mallem præsens præsentes consolari, si fieri posset. Verū cū id non liceat, oratione pro vobis pietatis

MEDICINA

tatis & voluntatis meæ propensę officia faciam & pensabo. Precor Christum Iesum, medium illum verum & probatissimum, Pharmacopolam omnium affluentissimū, vt hanc Animæ Medicinam, è Pharmacopolio suo, hoc est, literarū sacrarum penu diuite, collectam ac cōfectam, in cordibus vestris efficacem esse velit, vt solida fides in vobis crescat, dilectio Dei & proximi flagret, vt in omni cruce patientes sitis, Christi exemplum sedulò imitantes, Christo ad extremum vsq; halitum adhæreatis in spe certa vitę æternę per Christum Iesum donatæ. Amen,
Orate Deum & pro
me misero peccatore.

LIBRI DE MEDICINA
ANIMAE FINIS.

RATIO

RATIO ET METHODVS CONSOLANDI

periculose decumbentes.



CERTO statues, ô Christiane, qui aduersa valetudine conflictaris, te non casu, sed consilio & permissione dei affligi. Quicquid morbi est, aut calamitatis, seu ærumnarum, quod piis incumbit, omne id Deo gubernante, Dei consilio & voluntate euenit. Si quidem in ipso viuimus, *Act. 17.*
mouemur & sumus. Ipse fecit nos, & non *Psal. 99.* ipsi nos. Nec hæsitabis quin optima & verè paterna voluntate immittat hoc quicquid est morbi, non vt te perdat, sed vt ad poenitentiam vocet, & fidem tuam exerceat excitetq;. Sūt enim afflictiones, indubitata summæ misericordiæ & bonæ voluntatis Dei signa. Quem diligit, corrigit, inquit Salomon. Flagellat omnem filium, quem recipit, Hebræ. x i i. Benignissimus ille pater tuus cœlestis, tui amantissimus pro optimo suo consilio & propensissima in te voluntate, veterem hominem tuum hac aduersa tua valetudine, quasi vinculis constrictum coercet, frenat, mortificatq;.

RATIO CONSOL.

catq; vt lubentius & alacrius corpus tuum,
 tanquam hostiam oblatū cum Christo cru-
 ci affigas. Est itaq; hic tuus morbus, quo
 conflictaris, paterna castigatio, non in hoc
 immissa, vt perdaris, sed vt emenderis, vt vi-
 uificeris. Videt fortassis Deus pater vete-
 rem adamum tuum ferocē, impotentemq;
 sui luxuriare, & affectibus plus satis indul-
 gentem, sibi imperare, sese inhibere non
 posse, ideoq; hoc illi veluti capistrū iniicit,
 his illum compedibus, atq; catenis cōstrin-
 git, his carceribus, huic ergastulo includit,
 hac catasta vincit, vt illum frānet, vt retun-
 dat & coerceat, ne nobilissimam & pretio-
 sissimam animam tuam seductam, in peri-
 culum coniiciat. Caro & sanguis regnant,
 vigentq; in te magis quā spiritus, hic ad-
 est Deus spiritui tuo, eiq; aduersus ferociē-
 tem effrānem & rebellantem carnē luctan-
 ti fert suppetias, vt victā carnē supprimat
 subigatq;. Quod si prospera & integra cor-
 poris valetudine vtereris, nūc fortassis ca-
 ro (vt est nō nisi ad mala semper procliuis)
 seductum te in multa & graua contra Deū
 peccata, quibus irritata dei ira, animæ tuæ
 ad maledictionē & inferos strueretur via,
 coniecisset. Huic incommodo, atque pe-
 ricu-

AEGROTOS.

riculo præueniens pater ille tuus cœlestis,
 tibi tuæque saluti consulens, carnem tu-
 am, manibus pedibusque & omnibus vi-
 ribus contra spiritum ferocientem, eique
 rebellantem, tanquam frænis iniectis com-
 pescit, & captiuam ductam coercet, ne in
 peccatorum sentinam prouoluatur, sed
 spiritui subigatur obediatque. Hæc cū pa-
 tris tui amantissimi voluntas sit, cumque
 omnia in tuum commodum & salutem ce-
 dant, etiam atq; etiam vide, ô frater, ne
 voluntati Dei optimæ relucteris, teq; op-
 ponas, sed patere & ora, vt patris voluntas
 fiat, vt tractet pro suo arbitrio, vtq; nihil
 velis nisi quod ipsi visum fuerit optimū,
 vt omnia cedant ad gloriam & laudem
 Dei, & adsit tibi gratia sua, vt crucem
 incumbentem patienter & moderatè fe-
 ras. Nam patientia parit probationem,
 probatio spem, spes autem non cōfundit.
 Habes hic materiam exercendæ & discē-
 dæ patientiæ, in omnibus afflictionibus.
 Primum discis, quòd deus paterno animo
 te affligat. Id autem discis experiētia. Nisi
 enim re ipsa id experireris, quàm salutare
 esset tibi, se dedere totū, illius voluntati ob-
 secūdare (veluti dauid inquit, Bonū mihi,
 quòd

RATIO CONSOL.

quòd humiliasti me) non posses spem de illo certam & firmam concipere, non expertus antè sub hac cruce & virga tam paternum animum, & tui cupidissimum delitescere. Verùm cùm id antè experientia didiceris, eiusque rei gustum aliquem iam habeas, nullis afflictionibus animo consternato succumbis, sed spes tua subinde crescit, cùm semel atque iterum sis expertus præsens Dei auxilium. Et si conuiens patitur nonnunquam aliquandiu te in salubris hæsitare, mergique, tandem tamen aliquando auxiliares manus porrigens, eripite te & seruat. Patitur quidem natàre te aliquandiu, atque etiam aquis obrui, sed submergi non patitur. Hinc certò statuere potes, quòd te nunquam destituere nec reiicere velit, cùm toties te periclitatum seruauerit. In afflictionibus itaque discis spem bonam & indubitatam de Deo concipere & fouere, vt etiam in afflictionibus longè grauioribus, vbi nullum vsquam apparet auxilium, illi confidere possis, edoctus iam illius in liberandis & seruandis suis consuetudinem. Didicisti non ira, sed amore paterno afflictiones immittere. Quod cùm persuasum habeas tibi, experiètia edoctus, expectas,

RATIO CONSOL.

pectas patienter auxilium, nec despondes
animum, sed constanter tandem aliquan-
do laturum illum auxilium speras, vt maxi-
mè differens in longum tempus se occul-
tet & abscondat. Atq; ita tandem agnoscis
intelligisque morbum tuum seu afflictio-
nem non in hoc tibi immissam, vt perda-
ris, sed vt gloria Dei illustretur, & vt om-
nia in salutem tuam cedant. Qui ad hunc
modum Deo sese dedere & concredere po-
test, promissionibus ipsius fides, is non mo-
ritur in æternum. Id quod Christus ipse
etiam iuramento, ne quid addubitaremus,
affirmans, Amen, amen, inquit, si quis ser-
uauerit verbum meum, non videbit mortẽ
in æternũ. Et alio loco ait, Ego sum via, ve-
ritas, & vita. Qui credit in me, viuet, etiã si
mortuus fuerit. Et qui viuit & credit in me,
nõ morietur in æternũ. Hęc Christi verba,
ô frater, in animũ altissimè demissa fac dili-
genter asserues, hisque animum vacillantẽ
erigas & sustentes. Qui credit christo mor-
tem non gustabit. Qui credit in me, habet
vitam æternam, inquit Christus. Hęc au-
tem est vita æterna, vt te agnoscant Deum
verum, & quẽ tu misisti Iesum Christum.
Vita æterna inchoatur in Mundo hoc. Nã

I qui

AEGROTOS.

qui Christum habet, veram vitam habet.
 Nam Christus vita est, IOANNIS XIII.
 Est & veritas, ideoque non ludificabitur
 nos, sed promissiones Dei per ipsum sunt
 etiam, & per ipsum amen.

Ac quo nihil addubitares, quin dictis ac
 promissis suis mafurus esset Deus, peculia-
 ri quodam fœdore ac signo corpori tuo
 addito se tibi obstrinxit deuinxitq;. Nam
 cupidus & amans salutis tuæ cùm misisset
 filium suum in Mundū, vt pro te morti se
 offerret, fœdus gratiæ per Christū ante fe-
 riit fecitque, in quo promisit, se tibi, si cre-
 dideris, & baptizatus fueris, vitam æter-
 nam daturum gratis, se te nunquàm deser-
 turum, se patrem tuum futurum, se te gra-
 tia & misericordia coronaturum. Est autē
 signum fœderis huius baptismus tuus.

Huic signo additis promissionibus, vt ad-
 hærescas mordicus necesse est. Dedit au-
 tem signum hoc, vt de gratia pomissa &
 fide ipsius nihil hæsitares. Baptizatus es
 in mortem Christi, veluti Paulus ait, vt mors
 eius, tua mors fieret, ac pro te omnia ex-
 piaret, eumque in baptismo induisti, vt

Baptismus
quid sit. Baptismus, fœdus erigens & exhilarans
 tran-

RATIO CONSOL.

tranquillansq; conscientiam tuam coram Deo, teste Petro, quòd te nunquam damnaturus sit propter peccata tua. Nam fide iustificatus pacem habes apud Deum.

Tranquilla & serena pacataque conscientia, vera pax est. Accepisti autem huius iustificationis & remissionis peccatorum signum certissimum, seu sigillum quoddam Baptismum, vt certò crederes Deum propter Christum misertum tui, seruaturum & liberaturum te.

Iam itaq; cùm Deus tibi faueat, velitq; pater tuus esse, teq; nunquã deserere, cumq; eius rei infallibile signũ, ac testimoniũ habeas, omnem rem & te totum illi cõmendes dedasq;, eiusq; voluntati pareas, illiusque manum, siue mori te voluerit, siue viuere, patienter feras oportet, modò vt illius voluntas longè optima fiat ad gloriã & laudẽ ipsius. Quanquàm impossibile est, si misericordia promissa propter Christum fissus fueris, teq; totum illi consecraueris, vt damnari possis. Quippe promisit se futurum patrem tuum. Et quia verax est, cùm agnoscas illum patrẽ, & optima quæq; ab illo expectes speresq;, non potest nõ pater esse, teque seruare, quoquo modo duriter

I 2 ad

AEGROTOS.

ad tempus aliquandiu te tractet. Cùm itaq; promiserit se futurum patrem tuum, tuq; promissionibus his fidas, citra dubium tui tuorumq; acrem curam aget. Quapropter commendabis illi non modò tuū corpus, sed & vxorem ac liberos, cognatos & amicos, breuiter omnia tua : nec dubita quin ipse sit verus pater, verus coniunx, verus cognatus & amicus futurus. Nam te hactenus tanquam œconomo seu dispensatore duntaxat in his vsus est. Iam verò cùm te muneris huius functionem deponere velit, alium illis dispensatorem, qui et fide bona & diligenter illorū curam agat, in locum tuum substituet. Si hoc ab illo speraueris, & plena cordis fiducia expectaueris, non dubium est quin sit facturus quod dixi. Quocirca excute animo tuo omnem de tuis sollicitudinem, eamq; Deo commenda. De te potius sollicitus cogita, quomodo animæ tuæ consulas, eamq; Deo transmittas.

Ac cùm gratis propter Christum condonarit tibi peccata omnia Deus, nihil ququam à te pro hoc immenso & inestimabili beneficio exigit, quàm vt vicissim condones ex animo iis, qui te iniuria affecerūt.

Et

RATIO CONSOL.

Et promittit se remissurum nobis errata nostra, si remiserimus nos hominibus errata sua. Proinde omnibus offensis cōdonatis ex animo, ita vt nunquam earum memoriam apud te renouaturus sis, etiā ora pro illis, qui te leserunt, iuxta doctrinam & exemplum Christi, eosque iuua pro virili indigentes tua opera, si reualueris. Quod si hunc animum similitate, liuore, maleuolentia & ira vacuum habes, habes & signum, quod Deus tua peccata remiserit. Fides enim, qua cor tuum purificatum est, exercēs sese suosque fructus ferens, pro Dei infinitis beneficiis, non potest non vicissim ignoscere, & benefacere proximo suo. Hic fructus charitatis testatur, & certum te facit, quod fides tua vera sit & viua, cū fructus tulerit veros & bonos. Hoc Petrus vult, vbi iubet, vt firmam faciamus vocacionem nostram bonis operibus. Significat enim ea opera testes & signa esse, quod à Deo sis electus & adoptatus in filium ad eternæ salutis gaudia.

Fides uiua fructus veros producit.

NEVTIQVAM autem sperabis, ô frater, quod Deus propter morbi tui & crucis grauitatem peccata tibi condonaturus sit. Nulla enim alia est satisfactio, nulla alia cō-

I 3 pensa-

AEGROTOS.

pēlatio pro peccatis tuis, quàm vnica mors Christi. Nihil aliud in hac quidem causa respicit Deus, nihil aliud acceptat hic, quàm filium suum dilectum. Hic est agnus Dei, qui tollit peccata Mundi. Hic sacrificium est & oblatio sufficiens, absoluta, perfectaq; pro totius Mūdi peccatis. Tuus autem morbus doloresque ne leuissimum quidem peccatum tuum coram deo expiare possent, nedum salutem promereri, sicut Paulus testatur: Non reputo, inquit, pares esse afflictiones præsēntis temporis ad gloriam quæ reualabitur erga nos. Nulla creatura neq; in cœlis, neq; in terris, nullus Angelus iram patris sedare & mitigare potuit: multò minus morbus hic tuus & afflictio momentanea sedabit. Porrò autem qui eam iram lenire, & deum homini reconciliare debebat, hic vt & deus & homo esset (vtpote intercessurus & acturus inter deum iratum & hominem condemnatum) necesse erat. Ideoque dei filium oportebat hominē fieri, vt iram dei patris suo corpore dependeret lueretque, & ab ea nos seruaret, teste Propheta dicente: Languores nostros ipse tulit, dolores nostros ipse portauit. Posuit deus in eo iniquita-

tem

RATIO CONSOL.

tem omnium nostrum: propter scelus populi mei percussus eum. Et Petrus, Vibice eius sanati sumus. Propter hunc itaq; christum dominum tuum peccata tua tibi condonata sunt, nec ob aliud quicquam in tota rerum vniuersitate, ob nullam afflictionem, quantumuis duram & acerbam. Christus vnica est iustitia, salus, redemptio & satisfactio nostra.

Hunc Deus pro nobis peccatū fecit, qui peccatum non nouerat, vt nobis contingeret iustitia. Quapropter si credis, iam filius Dei es. I o. i. Si filius Dei es, es & hæres Dei, & cohæres Christi. Quòd si vita æterna hæreditas est & donū Dei, vti eam Paulus vocat, certè non promereberis eam doloribus morbi tui. Cæterum morbo hoc te coſſictari ideò vult Deus, vt eo veterem hominem tuum compescas, frangas, coerceas & mortifices, vt aliquando desinat peccare, Id autem fit ad extremum per mortem corporalem. Atque ob hanc causam mors hæc nobis subeunda est, vt anima emigrare ad æternam salutem possit. Est enim Mors hæc ianua ad vitam æternam. Ibi tum demū liberamur ab omnibus calamitatibus, miseriis, ærumnis, ab

*Mors ianua
vitæ æternæ.*

A E G R O T O S.

erroribus & imposturis diaboli omnibus, nec amplius foedissima peccatorū labe inquinabimur, nec in hæreses aut errores seducemur, nec in desperationē præcipitabimur. Omnium tum malorū & aduersitatum incommodorumq; finis adest. Tum conquiescentes in Domino potiemur vita & gaudiis æternis. Ergo neutiquam abominanda & formidanda mors est, imò votis flagrantibus expetenda, cū per eam ad æterna gaudia proficiscamur. Estq; verissimum quod Paulus dicit, Omnia piis coadiumēto esse in bonum. Siquidem mors, res coram Mundo omnium odiosissima, teterrima & maximè horribilis, credētibus fit dulcissima, gratissima, & iucundissima. Tametsi verus Adam ille noster ad eam inhorrescit, eam fugit & horret. Internus tamen homo promptus, alacris & expeditus, vltroneusq; ad eam obeundam, cū per eam ab omni peccatorum, flagitiorū, vitiorum & ærumnarum cœno, ac sordibus liberari se, & ad æterna gaudia proficisci videat sciatq;.

*Quomodo consolandi ij, quibus mortis
periculum imminet.*

Deus

RATIO CONSOL.

DEus optimus & tui amantissimus Pa-
ter, tui misertus, ô frater, ex calamito-
sissima, miserrimaque vita hac te vocat
translaturus ad se in perpetua vitæ cœle-
stis gaudia. Proinde dede & commenda
illi totum te tuaq; omnia, & quod ille vult,
velis & tu, dicasque, Fiat voluntas tua deus
pater, non mea. Clama cum Latrone cruci
affixo ad Christum, Memento mei Domi-
ne cùm veperis in regnum tuum. Clama
cum Publicano : Domine, propitius esto
misero mihi peccatori. Clama instanter
cum muliercula illa gentili Chananæa: O
fili David, miserere mei. Audiet te Chri-
stus clamantem, ne dubita, tuique misere-
bitur, peccatis condonatis, cum illo eris in
Paradiso. Hunc igitur Christum apprehē-
das, huic mordicus adhareas, huic animam
tuam fac concredas. Cum hoc Christo
crucifixo, ad Deum communem patrem
clama: Domine in te confido, non confun-
dar in æternum. In iustitia tua libera me.
Inclina ad me aurem tuam, accelera vt eru-
as me. Esto mihi in Deum protectorem
& in domum refugij, vt saluum me facias.
Fortitudo mea, & refugium es tu. Tu es
protector meus. In manus tuas commen-
do

A E G R O T O S.

do spiritum meum. Clama & cum Dauid: Domine firmamentum meum & fortitudo mea, refugium meum & liberator meus. Deus meus adiutor meus, protector meus & cornu salutis meæ, & susceptor meus. Ad te Domine leuavi animam meam, deus meus in te confido, non erubescam. Dirige me in veritate tua. Tu es Deus saluator meus. Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quæ à seculo sunt. Delicta iuuentutis meæ ne memineris. Secundum misericordiam tuam memeto mei propter bonitatem tuam Domine. Propter nomen tuum Domine propitiare peccato meo, multum est enim. Respice in me, & miserere mei. De necessitatibus meis erue me. Dimitte vniuersa delicta mea, custodi animam meam & erue me. Non erubescam, quoniam spero in te.

Si ad hunc modum toto corde auxilium Dei inuocaueris, auxilium feret tibi Deus opportuno tempore, dicetque id quod Psal. xc i. est: Quoniam sperauit in me, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Clamauit ad me, & ego exaudiam eum. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Quocirca, ô

Chri-

RATIO CONSOL.

Christiane, certa hic bonum certamen, dimica strenuè, fortiter & constanter, vt christianum verum decet. Caue loco cedas, caue tergum vertas, nihil est periculi. Non dimicas hic solus, sed Iesus Christus rex in hoc agone dux tuus est. Hunc te in hoc certamine præcedentem sequere. Hic dux tuus, vindex erit tuus, & ab omnibus hostibus animæ tuæ, ab omni periculo, ab omni calamitate in hac pugna tuebitur atque defendet te. Rex est nō quiuis, sed immensa & infinita potentiæ. Mortem, Satanam, Infernum, tua causâ iam vicit & prostrauit. Absorpta est mors in victoriam. Christus pro te mortuus est. Ideoq; mors æterna iuris nihil in te habet. Christus pro te descendit ad inferos, vt te ab æternis istis tenebris liberaret. Proinde forti & magno sis animo, pectore infracto irrumpe in aciem: excute omnē pauorem, nihil est hic periculi. Non est, quod metuas seuerum & strictū Dei iudicium : Christus Iesus mediator est coram Deo, idem aduocatus & patronus tuus est, & Pontifex & sacerdos. Hic Deo reconciliauit, & paternum illius animum propter peccata tua abalienatum tibi restituit. Deus propter Christum,
pater

A E G R O T O S.

pater nunc tuus est, tui curam agit, te vnicè amat, vt filium tenerrimum. Iam cùm hic tantus Rex à partibus tuis stet, quis negotium tibi faceßlere, quis impetere, quis opugnare te sustinebit? Quis, quæso, iniuriam tibi inferet? Quid periculi esse potest? Audi Paulum: Si Deus, inquit, pro nobis, quis contra nos? qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri potest, vt non & cum eodẽ omnia donet? Quis intētabit crimina aduersus electos Dei? Deus est, qui iustificat. Quis ille qui cōdemnet? Chr̃s est qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, & est ad dextrā Dei, qui & intercedit pro nobis. Quis nos separabit à Dilectione Dei? Persuasum habeo, q̃ neq; mors, neq; vita, neque altitudo, neque profunditas, neque vlla creatura alia poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Itaque cū Christus cum bonis suis tibi sit donatus, sunt & iustitia, innocentia, salus & vita æterna donata tibi, teste Paulo, primæ Corin. I. Christus factus est nobis sapientia à deo, iustitiaque & sanctificatio & redemptio.

In hunc igitur Christum, in hunc angularem

RATIO CONSOL.

larem lapidem fac spem & fiduciam tuam omnem locatam & fixam habeas. Hic lapis fundamentum validum, solidum & firmum est, cui tutò te cōcredere & inniti potes, nulla quantumvis atra & horrida tempestas, nulli nimbi, nullæ procellæ fundamentū hoc euertere & disturbare possunt. In hoc, inquam, Christo spes opesque tuæ omnes sitæ sint, In hunc te coniicias, ei totum dedito, huic fide mordicus adhæreto, nulla te ab eo calamitas aut tétatio auellat, vt maximè omnia absurdè & præposterè fieri videantur, vt maximè caro & sanguis longè secus dictauerint, & ratio contrariū senserit, vt maximè diabolus animo tuo subinde insusurret actum esse tecum, & deū tibi infensissimum esse, teque gehennæ supplicium com meritum damnandum esse. Quippe Fides est hypostasis: hoc est expectatio rerum sperandarū, id est, promissarum: & ἔλεγχος, id est, certum argumentum, & notitia non apparentiū. Cū sancto illo patriarcha Abrahamo sub spe præter spem credas oportet. Fides & spes tua omnibus istis, quæ vel ratio cæca suggerit, vel hostis ille πολυτεχνικώτατος infidias & exitium nobis moliens instillat atque ingerit,

AEGROTOS.

gerit, sese opponat resistatque oportet. Quare perdiscenda tibi propè est Dei in seruandis suis mos, & consuetudo. Quem euehere vult in cœlos, eum antè deducit ad inferos: quem viuificaturus est, eum antè mortificat: in quem insignem misericordiam & humanitatem exercere vult, eum antè tentatum simulat se damnaturum.

Quapropter cùm nihil aliud sentis, quàm mortem præsentissimam cùm deus videtur infensissimus esse tibi, cum quàm longissimè à te discessisse, te in totum deseruisse, te repudiatum & damnatum reiecissee videtur, tum quàm proximè tibi adest defensus & liberaturus te, tum te maximè amat, tum maximè illi curæ es. Incumbente enim afflictione & tribulatione recordatur misericordiæ, iuxta Prophetam. Siquidem ira eius durat vix momentum oculi. Non perpetuum irascitur. Quomodo miseretur pater filiorum, sic misertus est dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, recordatus est quoniam pulvis sumus. Misericordia autè domini ab æterno vsque in æternum. Miserator & misericors dominus, lóganimis & multum misericors. Psal.

CII.

RATIO CONSOL.

err. Quocirca clausis oculis: sensuum & rationis iudicio reiecto, totum te Christo subiice, subde, dede, & commenda, boni consule quocunque te modo tractauerit. Mortem & horrorem, doloresue mortis non iuxta oculorum & sensus seu rationis iudicium æstimabis, sed iuxta verbum dei. Dauid ait: Pretiosa mors Sanctorum in cōspectu domini. Item: Beati mortui, qui in domino moriuntur. Item Christus: Qui credit in me, mortem non gustabit.

Quamobrem si qua offeruntur, quæ te à Christo auertere, & in desperationem cōiicere conantur, omnia animo excute, verbo dei viuo tenacissimè adhereto, hoc meditare & subinde iratum animo tuo. inculca. Neq; enim vnquam tuæ rationis perspicacitate atq; acumine assequeris, quī fiat quòd per mortem ad veram vitam transeas, quomodo exhalans animam hinc emigres, quomodo anima tua domino seruetur & requiescat ad nouissimum vsque diem, quomodo etiam putrefactum, consumptum & ad esum à vermibus corpus in extremo iudicio resuscitatum noua & eleganti forma prodire possit. Hoc ratio comprehendere non potest, sola

A E G R O T O S.

sola Fides potest. Subinde itaque Symbo-
lum fidei meditare, & singulas particulas
has diligenter excute, & attentius expende.

*Quibus uerbis compellendus sit iam
agens animam.*

O Frater in Christo, nunc fac bonum
certamen certes: fac cōstanter & for-
titer locum tuum tuearis Christi redem-
ptoris tui promissiones infige penitus pe-
ctori tuo. Ego sum Resurrectio & Vita, in-
quit Christus: Qui credit in me, uiuet,
nec morietur in æternū. Christus assum-
pta natura humana iniuriis nostræ condi-
tionis obnoxia, moriens in crucis ara seip-
sum hostiam immolauit pro peccatis no-
stris. Hic suo sacrosancto sanguine ex-
purgauit delicta totius generis humani.
Hic Christus non te destituet. Hic curam
tuiaget. Christo seruante & protegente te,
nulla iniuria aut calamitate affici potes.
Solidum fundamentum Dei stat, habens
signaculum hoc, Nouit Dominus, qui sint
sui. II. Thim. II. Christus ait: Oues meæ vo-
cem meam audiūt, & ego cognosco eas, &
sequuntur me, & ego vitā æternam do eis,
nec peribunt in æternum, neque rapiet eas
quisquam

RATIO CONSOL.

quisquam de manu mea: Pater meus, qui dedit mihi, maior omnibus est, & nemo potest rapere de manu patris mei: Ego & pater vnum sumus. Quamobrem, ô frater in Christo, commendans animam tuam Deo patri te vnicè amâti, exclama cum Christo fratre tuo in cruce pendenti: O pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Deus pater omnis misericordiæ deducat te in vitam æternam, seruetque te ad lætissimam extremi illius iudicij resurrectionem. Amen.

RATIONIS CONSO-
LANDI AEGROTOS
FINIS.

K D. CAE.

D. CAECILII CYPRIANI, EPISCOPI CARTHAGINENSIS, & Martyris,
SERMO DE MORTALITATE.

ARGVMENTVM.

Sermo beati CYPRIANI de MORTALITATE, ad amorem relinquendi hanc uitam exhortans, & ostendens hoc quod sine ullo discrimine cum iniustis iusti moriuntur, non esse putandum bonis & malis interitum esse commune, quoniam ad refrigerium iusti vocantur, ad supplicium rapiuntur iniusti.



TSI APVD PLVRIMOS vestrum, fratres dilectissimi, mens solida est, & fides firma, & anima deuota, quæ ad præsentis mortalitatis copiam non mouetur, sed tanquam petra fortis & stabilis turbidos impetus Mundi, & violentos seculi fluctus frangit, potius ipsa, nec frangitur, & tentationibus non vincitur, sed probatur: tamen quia animaduerto in plebe quosdam, vel imbecillitate animi, vel fidei paruitate, vel dulcedine

DE MORTALITATE.

cedine secularis vitæ, vel sexus mollitiæ,
 vel, quod maius est, veritatis errore mi-
 nus stare fortiter, nec pectoris sui diui-
 num atque inuictum robur exerere, dissi-
 mulanda res non fuit, nec tacenda,
 quo minus quantum nostra mediocri-
 tas potest vigore pleno, & sermone de
 dominica lectione concepto, delicatæ
 mentis ignauia conprimatur, & qui ho-
 mo Dei & Christi esse iam cœpit, Deo
 & Christo dignus habeatur. Agnosce-
 re enim se debet, fratres dilectissimi,
 qui Deo militat, qui positus in cœle-
 stibus castris diuina iam sperat, vt ad
 procellas & turbines Mundi trepidatio
 nulla sit in nobis, nulla contatio, quando
 hæc ventura prædixerit Dominus, pro-
 uidæ vocis hortatu instruens & docens
 & præparans, atque corroborans ecclesiæ
 suæ populum ad omnem tolerantiam fu-
 turorum, bella & fames & terræmotus, &
 pestilentias per loca singula exurgere præ-
 nuntiauit & docuit. Et ne inopinatus
 nos & nouus rerum infestantium metus
 quateret, magis ac magis in nouissimis
 temporibus aduersa crebescere, antè præ-
 monuit. Fiunt ecce, quæ dicta sunt, & quan-

*Ignauia men-
 tis qualiter
 comprimenda.*

SERMO

do fiunt quæ antè prædicta sunt, sequen-
tur quæcunque promissa sunt, Domino
ipse pollicente, & dicente: Cum autem vi-
Luce 21: deritis hæc omnia fieri, scitote quoniam
in proximo est regnum Dei. Regnum
Dei, frares dilectissimi, esse cœpit in pro-
ximo, præmium vitæ & gaudium salutis
æternæ, & perpetua lætitia & possessio pa-
radisi nuper amissa, Mundo transeunte
iam veniunt, iam terrenis cœlestia, &
magna parvis, & caducis æterna succe-
dunt. Quis hic anxietatis & sollicitudinis
locus est? quis inter hæc trepidus & mœstus
est, nisi cui spes & fides deest? Eius est e-
nim mortem timere, qui ad Christum no-
lit ire: eius est ad Christum nolle ire; qui
se non credit cum Christo incipere reg-
nare. Scriptum est enim; iustum fide
Rom. 1. vivere. Si iustus es, & fide vivis: si vere in
Deum credis, cur non eum Christo fu-
turus, & de Domini pollicitatione securus;
& quod ad Christum voceris, amplecteris;
Simeon. & quod zabulo careas, gratularis? Simeon
denique Ille iustus, qui verè iustus fuit,
qui fide plena Dei præcepta servavit,
cùm ei diuinitus responsum fuisset, quòd
non antè moreretur, quàm Christum vi-
disset,

DE MORTALITATE.

disset, & Christus infans in templum cum matre venisset, agnouit in spiritu natum esse iam Christum, de quo sibi fuerat antè prædictum, quo viso, sciuit citò se esse moriturum. Lætus itaque de mortem proxima, & de vicina accensione securus, accepit in manibus puerum, & benedicens Deum exclamauit, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace, Quoniam viderunt oculi mei salutare tuum. probans scilicet, & contestans tunc esse seruis Dei pacem, tunc liberam, & tranquillam quietem, quando de istis Mundi turbinibus extracti, sedis & securitatis æternæ portum petimus, quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus. Illa est enim nostra pax, illa fida tranquillitas, illa stabilis & firma & perpetua securitas. Cæterum quid aliud in Mundo, quàm pugna aduersus diabolum quotidie geritur? quàm aduersus iacula eius & tela conflictationibus assiduus dimicatur? Cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitijs, cum illecebris secularibus assi-

Ultima semper Expectanda dies homini est, diciq; beatus Ante obitum nemo supremaq; sua nera debet.

k 3 dua,

S E R M O

Hofte ho dua, & iugis, & molesta luctatio est. *Ob-*
minis. fessa mens hominis, & vndique zabuli infe-
 statione vallata, vix occurrit singulis, vix
 resistit. Si auaritia prostrata est, exurgit
 libido: si libido compressa est succedit am-
 bitio: si ambitio contempta est, ira exaspe-
 rat, inflat superbia, vinolentia inuitat, inui-
 dia concordiam rumpit, amicitiam zelus
 abscindit. Cogaris maledicere, quod lex
 diuina prohibet: compelleris iurare, quod
 non licet. Tot persecutiones animus quo-
 tidie patitur, tot periculis pectus vrgetur,
 & delectat hic inter zabuli gladios diu sta-
 re? cum magis concupiscendum sit & op-
 tandum, ad Christum subueniente velo-
 cius morte properare, ipso instruente nos,
 & dicente: Amen, amen dico vobis quonia
 vos plorabitis & plangetis, seculum autem
 gaudebit: vos tristes eritis, sed tristitia ve-
 stra in lætitiā veniet. *Quis non ad læti-*
Ioan. 16. *tiam venire festinet? quis non tristitia care-*
re optet? Quando autem in lætitiā veniat
nostra tristitia, Dominus denuò ipse decla-
Ibidem. *rat, dicens: Iterum videbo vos, & gaudebit*
cor vestrum, & gaudium vestrū nemo tol-
let à vobis. Cum ergo videre Christum
gaudere sit, nec possit esse gaudium nostrū
nisi

DE MORTALITATE.

nisi cū viderimus Christum, quæ cecitas animi. quæue dementia est, amare pressuras & pœnas, & lacrymas Mundi, & non festinare potius ad gaudium, quod nunquam possit auferri? Hoc autem sit fratres dilectissimi, quia fides deest, quia nemo credit futura esse, quæ promittit deus, qui verax est, cuius sermo credentibus æternus & firmus est. Si tibi vir grauis & laudabilis aliquid polliceretur, haberes utiq; pollicenti fidem, nec te falli ac decipi ab eo crederes, quem stare in sermonibus, atque in actibus suis scires: nunc Deus tecum loquitur; & tu mente incredula perfidus fluctuas? deus tibi de hoc Mundo recedenti immortalitatem pollicetur, atque æternitatem, & tu dubitas? hoc est deum omnino non nosse, hoc est Christum credentium magistrum peccato incredulitatis offendere, hoc est in ecclesia constitutum fidem in domo fidei non habere. Quantum profit exire de seculo, Christus ipse salutis, atq; vtilitatis nostræ magister ostendit, qui cū discipuli eius contristarentur, quòd se iam diceret recessurum, locutus est ad eos, dicens: Si me dilexissetis, gauderetis, quoniam ad patrem

Ioan. 14.

K 4 vado

S E R M O

vado docens & ostendens, cū chari, quos diligimus, de seculo exeunt, gaudendum potius, quam dolendum. Cuius rei memor beatus Apostolus Paulus, in epistola sua ponit & dicit: Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Lucrū maximum cōputans iam seculi laqueis non teneri, iam nullis peccatis & vitijs carnis obnoxium fieri exemptum pressuris angētibus, & venenatis diaboli faucibus liberatū, ad lætitiā salutis æternæ christo vocāte proficisci. At enim mouet quosdā quòd æqualiter cū gētibus nostros morbi istius valetudo corripiat, quasi ad hoc crediderit christian⁹, vt & immunis à contactu malorū, mundo & seculo feliciter perfruatur, & nō omnia hic aduersa perpeffus ad futurā lætitiā referuetur. Mouet quosdam quòd sit nobis cū cēteris mortalitas ista cōmunis. Quid enim nobis in hoc Mundo non commune cum cæteris, quandiu adhuc secūdū legem primæ natiuitatis manet caro? ista cōmunis? Quo-

Carne hic a-
quamur, sepa-
ramur spiri-
tu.

adusque isthic in Mundo sumus, cum genere humano Carnis æqualitate coniungimur, spiritu separamur. Itaq; donec corruptiuū istud induat in corruptionē, & mortale hoc accipiat immortalitē, & spiritus

nos

DE MORTALITATE.

nos perducatur ad Deum patrem, quæcunq;
sunt carnis incômoda, sunt nobis cum hu-
mano genere communia. Sic cùm flatu
sterili terra ieiuna est, neminem fames se-
parat : sic cùm incursione hostili ciuitas
aliqua possessa est, omnes simul captiuitas
vastat. Et quando imbres nubila ferena lō
ga suspendunt, omnibus siccitas vna est.
Et cùm nauem scopulo saxa confringunt,
nauigantibus naufragium sine exceptione
commune est. Et oculorum dolor, & im-
petus febrium, & omnium valetudo mem-
brorum cum cæteris communis est nobis,
quandiu portatur in seculo caro ista com-
munis. Quinimo si qua conditione, si
qua lege crediderit Christianus, noscat, &
teneat, sciat plus sibi, quàm cæteris in secu-
lo laborandum, cui magis fit cum diaboli
impugnatione luctandum. Docet & præ-
monet scriptura diuina dicens : Fili, acce- *Eccle, 2.*
dens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & ti-
more, & præpara animam tuam ad tenta-
tionem. Et iterum : In dolore sustine, & in
timore, & in humilitate patientiam habe,
quoniam igne probatur aurum, similiter
& argentum. Sic Iob post rerum damna,
post pignorum funera, vulneribus quoq;

K 5 &

S E R M Ō

& vermibus grauiter afflictus, non victus est, sed probatus: qui in ipsis conflictationibus suis & doloribus patientiam religio-

Iob. 1. sæ mentis ostendēs, ait: Nudus exiui ex utero matris, nudus etiam ibo sub terram.

Dominus dedit, & Dominus abstulit: sicut Domino visum est, ita & factum est: sit nomen Domini benedictum. Et cum eū vxor sua cōpellaret, vt vi doloris impatiens aliquid aduersus Deum querula & inuidio

Iob. 2. sa voce loqueretur, respondit & dixit: Tanquam vna ex insipientibus mulieribus locuta es. Si enim bona suscepimus de manu Domini, quare mala non toleremus? In his omnibus, quæ contigerunt Iob, labiis suis nihil peccauit in conspectu Domini.

Itaq; illi testimonium perhibet Dominus, dicens: Animaduertisti puerū meum Iob? nō est similis illi quisquam in terris, homo sine querela, verus Dei cultor. Et Tobias post opera magnifica, post misericordiæ suæ multa & gloriosa præconia, cæcitatem luminum passus, timēs & benedicens Deū in aduersis, per ipsam corporis sui cladem creuit ad laudem, quem & ipsum vxor sua

Iob. 2. deprauare tentauit, dicens: Vbi sunt iustitiæ tuæ? ecce, quæ pateris. At ille circa timorem

DE MORTALITATE.

morem Dei stabilis & firmus, & ad omnē tolerantiam passionis fide religionis armatus tentationi vxoris inualidē in dolore nō celsit, sed magis Deum maiore patiētia promeruit: quem postmodū Raphael collaudat & dicit: Opera Dei reuelare & confiteri honorificū est: nam quando orabas tu & Sara nurus tua, ego obtuli memoriam orationis vestræ in conspectu claritatis Dei. Et cū sepelires mortuos simpliciter, & quia non es cunctatus exurgere & de relinquere prandium tuum, & abiisti & cōdidisti mortuum, & missus sum tentare te. Et iterum: Me misit Deus curare te, & Sarā nurum tuam: ego enim sum Raphael vnus ex septem Angelis sanctis, qui assistimus & conuersamur ante claritatem dei. Hanc tolerantiam iusti semper habuerunt. Hanc Apostoli disciplinam de Domini lege tenuerunt, non musitare in aduersis, sed quæcunq; in seculo accidunt, fortiter & patienter excipere. Cū Iudæorum populus hinc semper offenderit, quòd aduersus Deum frequentius murmuraret, sicut testatur in Numeris Dominus deus, dicēs: **Num. 20.** Desinat murmuratio eorum à me, & non morientur. Murmurandum non est in aduersis

S E R M O

tierfis, fratres dilectiffimi, fed patienter &

Pfal. 50. fortiter quicquid acciderit fultinendum, cum fcriptum fit : Sacrificium Deo fpiritus contribulatus, cor contritum & hu-

Deute. 8. miliatum Deus non defpicit. In Deuteronomio quoque moneat Spiritus fanctus per Moyfen, & dicat : Dominus Deus tuus vexabit te, & famem iniiciet tibi : & cognofcetur in corde tuo, fi bene cuftodieris præcepta eius, fiue non. Et iterum : Tentat vos Dominus Deus vefter, vt fciat fi diligitis Dominum Deum veftrum ex toto corde veftro, & ex tota

Gene. 22. anima veftra. Sic Abraham Deo placuit, qui vt Deo placeret, nec amittere filium timuit, nec gerere parricidium recufauit. Qui filium non potes lege & forte mortalitatis amittere, quid faceres fi filium iubereris occidere ? ad omnia te facere paratum timor Dei & fides debet. Sit

Exhortatio ad pœnitentiam, licet rei familiaris amiſſio : fit de infefantibus morbis aſidua membrorum & cruenta vexatio : fit de vxore, de liberis, de excedentibus charis funebris & triftis auulſio, non ſint tibi offendiculo iſta, fed prælia : nec debilitent aut frangant Chriftiani fidem : fed potius oftendant in

DE MORTALITATE.

in colluctatione virtutem, cū contem-
nenda sit omnis iniuria malorum præ-
sentium, fiducia futurorum bonorum. Ni-
si præceserit pugna, non potest esse victo-
ria: cūmfuerit in pugna congressione vi-
ctoria, tunc datur vincētibus & corona: nā
gubernator in tempestate dignoscitur, in
acie miles probatur. Delicata iactatio est,
cūm periculum non est: conflictatio in ad-
uersis, probatio est veritas. Arbor, quæ al-
ta radice fundata est, vêtis incumbētibus
non mouetur: & nāuis, quæ forti compa-
ge solidata est, pulsatur fructibus, nec fora-
tur: & quando area fruges terit, ventos gra-
na fortia & robusta contemnunt: inanes
paleæ flatu portante rapiuntur. Sic & Apo-
stolus Paulus, post naufragia, post flagella,
post carnis & corporis multa & grauia tor-
mēta, non vexari, sed emēdari se dicit in ad-
uersis, vt dum grauius affligitur, verius cō-
probetur. Datus est mihi, inquit, stimu-
lus carnis meæ angelus satanæ, qui me co-
laphizet, vt non extollar, propter quod do-
minū ter rogavi, vt discederet à me, & di-
xit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam vir-
tus in infirmitate perficitur. Quando ergo
infirmitas vel imbecillitas, & vastitas aliqua
grassa-

2. Cor. 12.

S E R M O.

graffatur, tunc virtus nostra perficitur : tūc fides si tentata perstiterit, coronatur, sicut scriptum est : Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Hoc deniq; inter nos & ceteros interest, qui deū nesciunt, quòd illi in aduersis queruntur & murmurant, nos aduersa non auocant à virtutis & fidei veritate, sed corroborant in dolore. Hoc quod nunc corporis vires solutus in fluxum venter euiscerat, quod in faucium vulnera conceptus medullitus ignis exæstuat, quòd assiduo vomitu intestinalia quatiuntur, quòd oculi vi sanguinis inardescunt, quòd quorundam pedes vel aliquæ membrorum partes contagio morbidæ putredinis amputantur, quòd per iacturas & damna corporum prorumpente languore vel debilitatur incessus, vel aditus obstruitur, vel cæcatur aspectus, ad documentum proficit fidei. Contra tot impetus vastitatis & mortis, inconcussi animi virtutibus congrédi, quanta pectoris magnitudo est? & quanta sublimitas, inter ruinas humani generis stare erectum, nec cū eis, quibus spes in Dominum nulla est, iacere prostratum? Gratulari magis oportet, & temporis munus amplecti, quòd dum nostram

DE MORTALITATE.

nostram fidem firmiter promimus, & labore tolerato ad Christum per Angustam Christi viam pergimus, præmium vitæ & fidei ipso iudicante capiamus. Mori plañe timeat, sed qui ex aqua & spiritu non re- *Mors quibus timenda.*
 natus, gehennæ ignibus mâcipatur: mori timeat, qui non Christi cruce & passione cêsetur: mori timeat, qui ad secundam mortem de hac morte transibit: mori timeat, quem de seculo recedentem perennibus pœnis æterna flamma torquebit: mori timeat, cui hoc mora longiore confertur, vt cruciatus eius & gemitus interim differatur. Multi ex nostris in hac mortalitate moriuntur, hoc est, multi ex nostris de seculo liberantur. Mortalitas ista vt Iudæis & gentibus & Christi hostibus pestis est, ita Dei seruis salutaris excessus est. Hoc q sine vlllo discrimine generis humani cum iniustis & iusti moriuntur, non est quod putetis bonis & malis interitum esse communem. Ad refrigerium iusti vocantur, ad supplicium rapiuntur iniusti: datur velocius tutela fidentibus, perfidis pœna. Improuidi & ingrati sumus, fratres dilectissimi, ad diuina beneficia, nec qd nobis cōferatur agnoscimus. Excedunt ecce in pace
 tutæ

S E R M O

tutæ cum gloria sua virgines venientis anti christi minas & corruptelas & lupanaria nō timentes: pueri periculum lubricæ ætatis euadunt, ad continentia atq; innocentia præmium feliciter perueniunt: tormenta iam non timet delicata matrona, metum persecutionis, & manus cruciatusq; carnis moriendi celeritate lucrata. Pauore mortalitatis & temporis accenduntur tepidi, constringuntur remissi, excitantur ignavi: desertores compelluntur, vt redeant: gentiles coguntur, vt credant, vetus fidelium populus ad quietem vocatur: ad aciem recens & copiosus exercitus robore fortiore colligitur, pugnaturus sine metu mortis cum prælium venerit, qui ad militiam tempore mortalitatis accedit. Quid deinde illud, fratres dilectissimi, quale est, quam pertinēs, quàm necessariū, quod pestis ista & lues, quæ horribilis & feralis videtur, explorat iustitias singulorum & mentes humani generis examinat, an infirmis seruiant sani, an propinqui cognatos piè diligant? an misereatur seruorum languentium domini? an deprecantes ægros nō deferant medici? an feroces violentiā suā comprimant? an rapaces auaritiæ furentis insatiabilem

DE MORTALITATE.

tiabilem semper ardorem vel metu mortis
extinguant? an ceruicem flectant superbi?
an audaciam leniant improbi? an pereunti
bus charis vel sic aliquid diuites largiantur
& donent sine hærede morituri? Vt nihil
aliud mortalitas ista contulerit, hoc Chri-
stianis & Dei seruis plurimum præstitit, q̃
martyrium cœpimus libenter appetere, dū
mortē discimus non timere. Exercitia sunt
nobis ista, non funera, dant animo fortitu-
dinis gloriam, contemptu mortis præpa-
rant ad coronā. Sed fortasse aliquis oppo-
nat & dicat: Hoc me ergo in præsentī mor-
talitate contristat, quòd qui paratus ad cō-
fessionem fueram, & ad tolerantiam passio-
nis toto me corde & plena virtute deuoue-
ram, martyrio meo prius, dum morte præ-
uenior. Primo in loco non est in tua pote-
state, sed in Dei dignatiōe martyrium: nec
potes te dicere perdidisse, quod nescis an
merearis accipere: tunc deinde Deus scru-
tator renum & cordis, & occultorum con-
templator & cognitor videt te, & laudat, &
comprobat, & qui perspicit apud te para-
tam fuisse virtutē, reddet pro virtute mer-
cedem. Nunquid Cain cū Deo munus
offerret, iam peremerat fratrem? & tamen

Obiectio.

Dilutio.

L parri-

S E R M O

parricidium mente conceptum Deus prouidus antè damnauit: vt illhic cogitatio mala, & pernicioſa conceptio Deo prouidente proſpecta eſt: ita & in Dei ſeruis, apud quos confeſſio cogitatur, & martyriũ mente cõcipitur, animus ad bonũ deditus Deo iudice coronatur. Aliud eſt martyrio animũ deeſſe, aliud animo deſuiſſe martyriũ.

*Qualis quis
inuenitur, ta-
lis iudica-
tur.*

Qualem te inuenit deus cùm vocat, talẽ pa-
riter & iudicat, cùm ipſe teſtetur, & dicat:
Et ſciãt omnes eccleſiẽ quod ego ſum ſcru-
tator renis & cordis, nec enim ſanguinẽ ve-
ſtrum quærít Deus ſed fidẽ: nam nec Abra-
ham, nec Iſaac, nec Iacob occiſi ſunt: & ta-
mẽ fidei, ac iuſtitix meritis honorati, inter
patriarchas primi eſſe meruerũt. Ad quorũ
conuiuĩũ cõgregatur quiſquis fidelis & iu-
ſtus, & laudabilis inuenitur. Meminiſſe de-
bemus voluntatẽ nos nõ noſtrã, ſed Dei fa-
cere debere, ſecundũ quod nos deus quoti-
die iuſſit orare. Quãm præpoſterum eſt,
quamq; peruerſum, vt cùm Dei voluntatẽ
fieri poſtulemus, quãdo euocat nos & ac-
ceſſit de hoc Mundo Deus, nõ ſtatim volũ-
tatis eius imperio parẽamus. Hoc nitimur
& reluctamur, & peruicacium more ſeruo-
rũ ad conſpectum Domini cum triſtitia &
mæro-

DE MORTALITATE.

mœrore perducimur, exeûtes istinc neces-
 sitatis vinculo, non obsequio voluntatis, &
 volumus ab eo præmiis cœlestibus hono-
 raria, d quem venimus inuiti? Quid ergo
 rogamus & petimus, vt adueniat regnum
 cœlorum, si captiuitas terrena delectat?
 Quid precibus frequēter iteratis rogamus
 & poscimus, vt acceleret dies regni, si ma-
 iora desideria & vota potiora sunt seruire
 isthic diabolo, quàm regnare cum Chri-
 sto? Denique, vt manifestius diuinæ pro-
 uidentiae iudicia clarescerent, quòd Domi-
 nus præsciis futurorum suis consulat ad
 veram salutem: cùm quidam de collegis *Visto.*
 & consacerdotibus nostris iam infirmita-
 te defessus, & de appropinquante morte
 sollicitus commeatum sibi precaretur, asti-
 tit deprecanti & iam penè morienti iuue-
 nis honore & maiestate venerabilis, statu
 excelsus, & clarus aspectu, & quē assisten-
 tem sibi vix posset humanus aspectus ocu-
 lis carnalibus intueri, nisi quòd talē videre
 iam poterat de seculo recessurus. Atque il-
 le non sine quadam animi & vocis indig-
 natione infremuit, & dixit: Pati timetis,
 exire non vultis, quid faciam vobis?
 Increpantis vox est & monentis, qui de

L 2 perfe-

S E R M O

persecutione sollicitis, de accensione securis, nō consentit ad præsens desiderium, sed contulit in futurum. Audiuit frater noster & collega moriturus, quod ceteris diceret. Nā qui moriturus audiuit, ad hoc audiuit, ut diceret: audiuit non sibi ille, sed nobis. Nam quid disceret iam recessurus? didicit imò nobis remanentibus, ut dum sacerdotem, qui commeatū petebat, increpitū esse comperimus, quid cūctis expediat agnosceremus. Nobis quoque; ipsis minimis & externis quoties reuelatum est, quā frequenter atque manifestè de Dei dignatione præceptum est, ut cōtestarer assiduè & publicè prædicarem, fratres nostros nō esse lugendos accessione Dominica de seculo liberatos, cū sciam nō eos amitti, sed præmitti, recedentes præcedere, ut proficiscentes & nauigantes desiderari eos debere, nō plangi: nec accipiendas esse hic atras vestes, quādo illi indumenta alba iam sumpserint: occasionem dandam nō esse gētilibus, ut nos meritò ac iure reprehendāt; quòd quos vivere apud Deū dicimus, ut extinctos & perditos lugeamus, & fidē, quā sermone & voce depromimus, cordis & pectoris testimonio reprobemus. Spei nostræ ac fidei præuari-

*Gaudendum
morte potius
quam flendū.*

DE MORTALITATE.

varicatores sumus, simulata, ficta, fucata videtur esse, quæ dicimus. Nihil prodest verbis proferre virtutem, & factis destruere veritatem. Improbatur denique Apostolus Paulus & obiurgatur & culpat, si qui contristentur in excessu suorum: Nolumus, inquit, ignorare vos fratres de dormientibus, ut non contristemini sicut & cæteri, qui spem non habent. Si enim credimus quia Iesus mortuus est, & resurrexit: sic & Deus eos, qui dormierunt in Christo, adducet cum illo. Eos contristari dicit in excessu suorum, qui spem non habent. Qui autem spe vivimus, & in Deum credimus, & Christum passum esse pro nobis, & resurrexisse confidimus in Christo manentes, & per ipsum, atque in ipso resurgentes, quid aut ipsi recedere istinc de seculo nolumus, aut nostros recedentes quasi perditos plangimus, ac dolemus? ipso Christo Domino ac Deo nostro monente & dicente: **Ioan. 11.** Ego sum resurrectio qui credit in me, licet moriatur, vivet: & omnis, qui vivit & credit in me, non morietur in æternum. Si in Christum credimus, fide verbis & promissis eius habeamus, non moriemur in æternum, ad Christum, cum quo & victuri & regnaturi semper sumus, læta securitate veniamus. Quod

L 3 inte-

S E R M O

interim morimur, ad immortalitatem morte trāsgredimur: nec potest vita æterna succedere, nisi hinc cōtigerit exire: nō est exitus, sed transitus, & téporali itinere decurso ad æterna trāsgressus. Quis nō ad meliora festinet? Quis nō mutari & reformari ad Christi speciē, & ad cœlestis gratiæ dignitatē venire citius exoptet? Paulo Apostolo prædicante: Nostra autē conuersatio, inquit, in cælis est, vnde & Dominum expectamus Iesum Christum, qui trāsformabit corpus humilitatis nostræ configuratū corpori claritatis suæ. Tales nos futuros & Christus Dominus pollicetur, quando, vt cum illo simus, & cum illo in æternis sedibus viuamus, atq; in regnis cœlestibus gaudeamus, patrē precatur pro nobis: Pater, quos mihi dedisti, volo vt vbi ego fuero, & ipsi sint mecū, vt videant claritatē, quam mihi dedisti, prius quàm Mūdus fieret. Vēturus ad Christi sedē, & regnorū cœlestiū claritatē, lugere nō debet nec plangere, sed potius secundum pollicitationem Domini secundū fidē veritatis, in profectiōe sua & translatione gaudere. Sic deniq; inuenimus & Enoch translatus esse, qui Deo placuit. Sic in Genesi testatur, & loquitur

scri-

DE MORTALITATE.

scriptura diuina: Et placuit Enoch Deo, & *Enoch Deo placuit. Gene. 5.*
 non est inuentus postmodum, quia Deus illum transtulit. Hoc fuit placuisse in conspectu Dei, de hac cōtagione seculi meruisse trāsferri. Sed & per Salomonē docet Spiritus sanct⁹, qui Deo placeāt maturius hinc eximi, & citius liberari, ne dum in isto Mūdo diuti⁹ immoretur, Mūdi cōtactibus polluantur. Raptus est, inquit, ne malitia mutaret intellectū eius, placita enim erat Deo anima eius: propter hoc properauit educere eum de media iniquitate. Sic & in Psalms ad Dominum properat spirituali fide Deo sua anima deuota, sicut scriptum est: Quām dilectissimæ habitationes tuæ *Psal. 82.*
 Deus virtutum, desiderat & properat anima mea ad atria Dei. Eius est in Mundo diu velle manere, quem Mundus oblectat, quem seculum blandiens atq; decipiens illecebris terrenæ voluptatis inuitat, Porro cū Mundus oderit Christianum, quid amas eū qui te odit, & non magis sequeris Christū, qui te redemit, & diligit? Ioannes in Epistola sua clamat, & loquitur, & ne carnalia desideria sectantes Mundū diligamus, hortatur: Nolite, inquit, diligere *1. Ioan. 2.*
 Mundum, neque ea quæ in Mundo sunt.

L 4 Si

SERMO

Si quis dilexerit Mundū, nō est charitas patris in illo: quia omne quod in Mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi, quæ non à patre, sed ex concupiscētia Mundi, & Mundus transibit & concupiscentia eius: qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, sicut & Deus manet in æternū. Porro, fratres dilectissimi, mente integra, fide firma, virtute robusta, parati ad omnē voluntatem Dei sumus: pauore mortis excluso immortalitatem, quæ sequitur, cogitemus. Hoc nos ostendamus esse quod credimus, ut neq; charorum lugeamus excessum, & cū accersionis propriæ dies venerit, incunctanter & libenter ad Dominum ipso vocāte veniamus. Quod cū semper fuerit faciendum Dei seruis, nūc fieri multo magis debet corruente iā Mundo, & malorum infestantium turbinibus obsessio, ut qui cernimus cœpisse iam graua, & scimus imminere grauiora, lucrum maximum cōputemus, si isthinc velocius recedamus. Si in habitaculo tuo parietes vetustate nutarent, tecta desuper tremarent, domus iam fatigata, iam lassæ ædificiis senectute labentibus, ruinam proximam minaretur, nōne omni

DE MORTALITATE.

omni celeritate migrares? Si te nauigante turbida & procellosa tēpestas fluctibus vi venti excitatis, prænuntiaret futura naufragia, nonne portum velociter peteres? Mū- *Mundus*
dus ecce nutat & labitur, & ruinam sui iam *nutat.*
nō senectute rerum, sed fine testatur, & tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis, quòd exitu maturiore subtractus, ruinis & naufragiis, & plagis imminētibus exuaris? Considerandum est, fratres dilectissimi, & identidm cogitandū, renūtiasse eos Mūdo, & tanquam hospites & peregrinos hic interim degere. Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo, qui nos isthinc ereptos, & laqueis secularibus exutos paradiso restituit, & regno cœlesti. Quis nō peregre cōstitutus properet in patriam regredi? Quis non ad suos nauigare festinans, vêtum prosperum cupidius optaret, vt velociter charos liceret amplecti? Patriam nostram paradisum computamus, parentes nostros Patriarchas habere iam cœpimus: quid non properamus & currimus, vt patriā nostrā videre, vt parētes salutare possimus? Magnus illhic nos charorū numerus expectat, parentū, fratrū, filiorū: frequens nos & copiosa turba desiderat, iā de sua im-

L 5 mortali-

S E R M O

mortalitate secura, & adhuc de nostra incolumitate sollicita. Ad horū cōspectū, & cōplexū venire, quāta & illis & nobis in cōmuni lætitia est? qualis illhil cōlestiū regnorū voluptas sine timore moriendi, & cū æternitate viuēdi? quā summa & perpetua felicitas? illhic apostolorū gloriosus chorus: illhic Martyrū innumerabilis populus, ob certaminis & passiōis victoriā coronatus, triūphātes illhic virgines, quæ cōcupiscentiā carnis & corporis cōtinentiæ robore subegerūt, remunerati misericordes, qui alimētis & largitionibus pauperū iustitię opera fecerūt, qui dominica præcepta seruātes ad cōlestes thesauros terrena patrimonia trāstulerūt. Ad hoc, fratres dilectissimi, auda cupiditate properemus, vt cū his citò esse possimus, citò ad Christū venire cōtingat, optemus. Hanc cogitationē nostram Deus videat, hoc propositū mentis & fidei Dominus Christus aspiciat, daturus eis gloriæ suæ ampliora præmia, quorum circa se fuerint desideria maiora. Amen.

D. CAECILII CYPRIANI

DE MORTALITATE.

FINIS.

O R A -

ORATIO AD DE- VM, APVD AEGROTVM, dum inuifitur, dicenda.



OMNIPOTENS sempiterne
& clemētissime deus, inter mul-
tiplices disciplinas & castigatio-
nes, quibus ad te nos inuitas, va-
riis ægrotationibus carnem nostram refræ-
nare soles, adempta per morbos periculo-
sos eius securitate: admonesque tum ma-
læ vitæ peractæ illius finis, adeoq; mortis
impendētis, per cruciatus, qui sunt illi ante
ambulones, tum extremæ diei iudicii tui,
& subsequaturæ vitæ æternæ, quæ bonis ad
gloriam & felicitatem, malis autem ad ig-
nominiam ac damnationē gehennæ con-
tinuabitur. Quarum rerum memoriam ca-
ro sibi permissa nullam admittit. Iam ve-
rò hunc hominem calamitosum, ob effe-
ctam valetudinem lecto affixum, & ferentē
seueritatem flagelli tui deprehendimus, a-
pud quem peccatorum sensus excitatur,
mortisque imago ob oculos volitat. Id-
circo nos miseri, qui eandem horam aduer-
sitatis pro naturæ conditione expectamus,
vna cum illo te oramus & obsecramus, ne
summo

O R A T I O

summo iure pro eius meritis, cum eo iudicium experiaris, propter Iesum Christū dominum nostrum, qui huius ægroti & nostram omnium culpam in cruce luit. Quin potius illi ceu redempto gratiam & animi fortitudinem largiaris, quia hāc paternam disciplinam & visitationē placidē admittat, patienter ferat, perfecta obedientia volentem & obsequentem se percutientis beneuolentiæ permittat. Opitulare illi in omnib⁹ aduersitatibus, ac tutela illi & propugnaculum fueris, contra instans discrimen, quo iam periclitatur, maximè si conscientia renudata interiora cordis peccata illum apud te accusabunt, tum acerbissima tormenta & voluntarium sacrificium Christi filij tui in patrociniū oppone, qui nostras infirmitates sustinuit, pœnamq; nobis debitam persoluit, factus pro nobis peccatū, dum pro nostris peccatis mortem oppeteret, quæ pretioso sanguine suo abluit, quique ex mortuis resurgens nostra iustitia, perfectusq; redemptor factus est. Horum beneficiorum fructum & vim per fidem sentiat, hac angustia pressus opem tuam experiat, & talium beneficiorum, donorumque in Christo, fructum aliquem hoc arti-

A D D E V M.

articulo temporis sui delibet. Effice vt vera fide tātum felicitatis thesaurum, hoc est, remissionem peccatorum propter christū, qui per ministerium verbi prædicationis, quod initio recitauimus, & sacramentorū vsu, quæ in ecclesia nobiscum frequenta- uit, ei etiamnum exhibetur, auidè ac certò accipiat, in solatiū, præsidium & propugna- culū aduersus tumultus grauitè accusan- tis conscientia, & artes cacadæmonis. Sed & ea fides sit ei armatura, qua tu per mor- tem in vitam penetret, qua apprehensa in sempiternum fruatur. Eum igitur totum tibi commendamus pater cœlestis. Nam quia ægrotus est, tu sanaueris eum: imbe- cillis est, adiuueris eum: iacet, tu statueris eum: suam impuritatem & maculas agnos- cit, laueris eum: faucius est, medicatus fue- ris ei: pauidus est, animum reddideris ei. Et quia omnia nosti, & pro arbitrio conferre potes, exatiauè eum: fame enim & siti valdè torquetur. Amplectere: nam ad te re- ctà confugit, & constantem sibi ad obeun- da iussa tua eum efficias. In summa, ignosce omnia, quibus iram acrem in se tuam inci- tauit. Pro morte vitam ei concede tecum in gloria, & si eius vsus, in vinea tua exædi- ficanda

ORATIO

ficanda in hac mortalitate, & accuratius ad
exemplum Christi conformandum noue
ris eum, sed auctum donis amplioribus
conferua. Atqui voluntas tua omnino fiat,
quæ nunquam non est optima. Hæc om
nia nobis atq; decumbenti ex morbo ho
mini isti concede, per solum Iesum Chri
stum filium tuum dominum nostrum, qui
vnus est redemptor & opitulator noster,
qui que in solatium & exemplum peccato
ribus latronem in cruce secum in paradi
sum perduxit. Qui tecum viuat
& regnat in vnitate Spiritus
sancti, verus Deus in se
cula seculorū
Amen.

ORATIO AD CRH- STVM, IN GRAVI MOR- bo dicenda.



DOMINE IESV, vnica salus
viuentium, æterna vita mo-
rientium, tuæ sanctissimæ vo-
luntati me totum submitto tra-
doque, siue hanc animulam in huius cor-
pusculi domicilio diutius commorari pla-
ceat ad tibi seruiendum, siue ex hoc seculo
demigrare velis, certus, non posse perire
quod tuæ misericordiæ cōmissum est, car-
nem hanc fragilem ac miseram equo depo-
nam animo videlicet spe resurrectionis,
quæ mihi illam reddet multò feliciorē. Ani-
mam quæso vt aduersus omnia tentamen-
ta, tua gratia corroboret: contraq; omnes
satanæ assultus cinge me scuto tuæ miseri-
cordiæ, qua olim martyres tuos aduersus
horredos cruciat ac mortes crudelissimas
inuictos reddidisti. Video quā nihil in me
mihi sit præsidij, in tua inenerrabili bonita-
te tota est fiducia. Nihil habeo meritorū
aut bonorū, operum quod allegem apud
te, malorum heu nimis multum video, sed
per tuam iustitiam confido me in numero
iusto-

ORATIO

iustorum censendum. Tu mihi natus es,
mihi sitisti, mihi esuristi, mihi docuisti, mi
hi orasti, mihi ieiunasti, mihi tantum bono
rum operum in hac vita peregisti, mihi tā
acerba passus es, mihi in cruce pretiosam
animam tuam in mortem tradidisti. Pro
sint mihi nunc, quæ sponte donasti, qui
te totum mihi donasti. Tuus sanguis ab
luat maculas criminum meorum, tua iu
stititia tegat iniustitiam meam. Tua merita
me supremo iudici cōmendent. Ingraues
cente malo adauge gratiam tuam, ne vacil
let in me fides, ne titubet spes, ne refriges
cat charitas, ne terrore mortis deiiciatur
humana infirmitas, sed postea quā mors
occuparit oculos corporis, mentis tamen à
te non deflectantur, quumq; linguæ vsum
ademerit, cor tamen instāter ad te clamet,

In manus tuas Domine cōmen
do spiritum meum, cui
honos & gloria si
ne fine. Amen.

D. IOANNIS CHRY-
SOSTOMI, PATRIARCHAE
Constantinopolitani,

De patientia, & consummatio-
ne huius seculi, de secundo Aduentu Domini, deq;
eternis iustorum gaudijs, & malorum poenis, de
Silentio, & alijs, Sermo.

IOANNE THEOPHI-
LO INTERPRETE.



R AECLARAequidem est iu-
storum vita. Quomodo autem
fulget, nisi per patientiam? Hâc
dilige frater, vt fortitudinis ma-
trem. Nam Psaltes admonet, dicens: Sustine
dominum, & custodi viam eius. Et Pau-
lus vt virtutē hanc possideas, inquit: Affli-
ctio patiētiam operatur. Quam si exercue-
ris, inuenies bonorum fontem, spem. Spes
autem nō pudefaciet. Subditus igitur esto
Domino, & ora eum. Inuenies autem & in
de non contemnendum aliquid, nempe: Et
dabit tibi omnes petitiones cordis tui.

Patientia
fortitudinis
mater.

Quid hoc beatius, qui beneuolas tanti
M Regis

S E R M O

Regis aures possidet? Quis non optat aper-
tas & obedientes habere aures iudicis? Ope-
rarius es virtutis, frater. Conduxit te in vi-
neam suā Christus. Quū adhuc tempus ha-
bes, operare bonū. Audi Paulum dicentem
hoc: Id quod seminauerit homo, & metet.
Semina in spiritu, vt vitā æternā metas. nā
qui in corpore seminat, de corpore metet
corruptionē. Audi & aliū admonitorē di-
centē, Seminate vobis ipsis iustitiam, vin-
demiabitis fructū iustitię. Ne te laboris pi-
geat. Spes est messis & vindemię. Vbi enim
certamina, ibi & brabia: vbi pręlia, ibi & ho-
nores: vbi pugna, & ibi corona. In hęc respi-
cito, & te ad patientiā arma. Semper inso-
net in aures tuas, qui cum sanctis clamat:
Viriliter age, & confortetur cor tuū, & su-
stine Dominum: appara opera tua, exerce
agrum tuum. Ager est hęc vita, accipe bo-
num ligonem. Nouum, inquam, & Vetus
instrumētum. sępi prędium tuū sentibus,
doctrina, precatione, ieiunio. Si hęc tibi sę-
pes fuerit, non ingreditur bestia, diabolū
dico. Cole animam tuam, vt bonam vineā.
Et quemadmodum vinearum custodes
plaudunt manibus, clamāt voce, talibusq;
strepitibus infidiatores abarcent: sic & cla-
ma

IOAN. CHRYSOST.

ma precationibus, iubila psalmorū cātu & effugabis malam bestiam, vulpem, scilicet diabolum. De qua dixit scriptura: Apprehēdite vobis vulpeculas, &c. Obserua semper hostem. Si illicita concupiscentia cor tuū sagittauerit, si obscenas cogitationes suas in animā tuam funda iaculatus fuerit, obiice scutū fidei, obuerte cassidē spei, arripe gladium spiritus, quod est verbū Dei. Et sic armatus hostem sustineas, neq; pusillanimis sis in prælio. Sed in omnibus sobrius esto, & dic: Neq; enim ipsius ignoramus technas. Gaude semper, sicut scriptū est: Lenitas vestra nota sit omnibus hominibus. Timor Dei fulguret in corde tuo, ne fias fugitiuus miles, ne timidus, & deses operarius, ne fugias coronā. Vita brevis, iudiciū autem longū. Ad hoc spectās, suggerere cordi tuo, & cū beato Propheta dic: Viri liter age, & confortetur cor tuū, & sustine Dominū. Imitare Daudē, & vnico lapidis iactu prosterne aduersariū. Afsistūt angeli spectatores vitæ tuæ. Spectaculū enim, inquit, facti sumus mūdo, & angelis, & hominibus. Si te viderint vincentē, gaudebūt in tuo bono opere: sin victū, abscedēt tristes, neq; videre te poterūt: irridebūt autē te dæ

M 2 monia:

S E R M O

*Extremus
dies qualis
erit.*

monia. Arripe igitur pro gladio, timorem Dei. Timor enim Dei quali gladius biceps est, concidens quicquid malarum concupiscentiarum. Arripe igitur semper timorem Dei. Et memeto iugiter extremi illius diei, quando cœli flagrantés soluentur. Elementa autem ardentia liqueſcent. Terra verò, & opera, quæ in ea ſunt, exurentur. Quando ſtellæ cadent vt folia, Sol autem & Luna obtenebrabuntur, nec dabunt ſplendorem ſuum: quando manifeſtabitur filius Dei, & deſcendet de cœlis ſuper terram, & virtutes cœlorum mouebuntur. Quando diſcurrent angeli, voces tubarum venient, ignis coram eo exardeſcet, & diſcurrens totum orbem eluet, in circuitu eius tempeſtas valida. Terræ motus erunt, & fulmina, qualia nunquam fuerunt, neque ſunt, vſq; in hunc diem: ita vt & ipſæ virtutes cœlorum magno tremore corripientur. Igitur quales tunc nos eſſe oportebit, frater mi? Qualis timor, & qualis horror nos inuadet? Cogita, quomodo Iſraelitæ in ſolitudine non valuerunt ferre calignem, & obſcuritatem, & vocem Dei loquentis è medio igne: ſed effecerunt, ne eis loqueretur, neq; tulerunt plurimum maiestatis ſuæ occultan-

IOAN. CHRYSOST.

cūltantem, etiā si neq; succēdens eis descenderet, neq; iracundē loqueretur.

Audi igitur, frater mi, si non poterunt ferre aduentum eius, qui cōsolabatur, quādo neq; cœli flagrantē soluti sunt, neque terra, & quæ in ea, exusta sunt, quando neque qui tuba canent sonuerunt, sicut clamatura est tuba illa, & omnes à seculo dormientes excitatura, neq; ignis orbem eluit, neq; aliud futurorum terribilium tunc cōtigit. Quid faciemus, quum ira & furore intolerabili descēdet, & sedebit super thronum gloriæ suæ, & aduocabit terram ab oriente Solis vsq; ad occidentem, & ab omnibus finibus terræ, vt discernat populum suum, & reddat vnicuiq; secundum opera sua? Heu mihi quales oportet esse nos, quādo assistemus nudi & exuti, producendi ad tribunal? Heu mihi, vbi tunc fucus ille, & vbi tunc robur carnis? vbi tunc pulchritudo illa mendax, & inutilis? vbi tunc humanæ vocis suauitas? vbi tunc impudens & ruboris nescia dicacitas? vbi tunc ornatus vestitium? vbi tunc voluptas peccati, verè immunda, fœda? vbi tunc qui cum tympanis & musicis vinum bibunt, & in opera Dei non respiciunt? vbi tunc contēptus illorū

*Secundus Do
mini aduen
tus qualis.*

M 3 qui

S E R M O

qui nunc absq; timore viuunt? vbi tūc deli-
cia & mollities? Omnia enim transierunt,
& sicut putridus aër dissoluta sunt. Vbi
tunc pecuniarum & opum cupiditas, & im-
misericordia, illius perpetua comes? vbi
tunc crudelis superbia, quæ omnes abo-
minatur, & ipsa sibi videtur esse aliquid?
vbi tunc inanis & vana hominum gloria?
vbi tunc potentia & tyrannis? vbi tūc rex?
vbi princeps? vbi dux? vbi tunc magistra-
tus inflati, & præ diuitiis Deum cōtemnen-
tes? Tunc vbi viderint (de eis dici cōuenit)
admirati sunt, commoti sunt, turbati sunt,
timor apprehendit eos. Illic dolores, vt par-
turientis, spiritu vehementi conterentur.

Vbi autem sapientia sapientum? vbi no-
uæ eorum adinventiones? Væ væ eis. Com-
moti sunt, conturbati sunt, sicut ebrius: &
omnis sapientia eorum absorpta est. Vbi
tunc sapiens? vbi tunc scriba? vbi tunc con-
fiscator seculi huius vani? Frater mi, expen-
de quales futuri sumus, cū reddenda erit
ratio eorum, quæ fecimus, tam magnorum
quàm paruorum. nam donec iusto iudicio
iustè satisfecerimus, qualis erit conditio
nostra in illa hora? & quàm anxij erimus,
vt gratiam apud eū inueniamus? Quale au-
tem

IOAN. CHRYSOST.

tem gaudiū excipiet nos, qui segregamur
à dextris dei? Quomodo tunc habebimus,
quum nobis salutabunt omnes sancti Dei?
Salutabit te Abraham, Isaac, & Iacob, Mo-
ses, Noe, Iob, Daud, & omnes sancti Pro-
phetæ, Apostoli, & Martyres, & omnes iu-
sti, qui Deo placuerūt in vita carnis suæ: &
quot audies ibi, & admiraberis eorū vitam,
quos modò etiam videre voluisti. Hi illic
veniēt ad te, exultātes ob tuā salutē. Quali-
ter tūc affecti erimus? Quām ineffabile erit
illud gaudium, quādo rex hilaris dicet his,
qui à dextris sunt: Venite benedicti patris
mei, & hæreditate accipite regnū, quod vo-
bis præparatū est ab origine mundi. Tunc
accipies, frater mi, regnū decētissimum, &
diadema pulchritudinis de manu Domini,
& posthac cum Christo regnabis. Tunc in
hæreditatē accipies æterna illa bona, quæ
præparauit Deus diligentibus se. Tūc post
hac absq; solitudine futurus es, & absque
omni formidine. Expende frater mi, quid
sit regnare in cœlo. nam vt prædiximus, ac-
cipies diadema de manu Domini, & regna-
bis posthac cum Christo. Expende fra-
ter mi, quid sit perpetuò videre faciē Dei.
Qualem habet ista lucē? Tūc enim nō erit

M 4 tibi

S E R M O

tibi sol in lucem diei, sicut Esaias dixit: neque ortus lunæ illustrabit noctem: sed erit tibi Dominus Deus lumen æternum, & gloria tua. Ecce frater mi, qualia gaudia reposita sunt his qui timent Dominum, & qui obseruant mandata eius.

Expende frater mi deinceps, & peccato
Malorum, rum perditionem, quando producentur
perditio, ad terribile tribunal, quanta tunc confusio
& pœna. ne comprehendentur coram iusto iudice, non habentes quod respondeant, quàm erubescant, quum loquetur eis in ira sua Dominus, & in furore suo cōturbabit eos, dicens: Discedite à me maledicti in ignem æternū, qui præparatus est diabolo, & angelis eius. Heu heu quam afflictionē & angustiam habebit spiritus eorum, quando fortiter clamabunt omnes, & dicent: Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes quę obliuiscuntur Deum. Heu heu, quam cātilenam eiulabunt plangentes, & lamentantes, abducendi, vt creduliter in infinita secula puniantur. Heu qualis est locus vbi fletus & stridor dentium, qui dicitur Tartarus, à quo & sathanas ipse abhorret. Heu, qualis est Gehenna ignis inextinguibilis. Heu qualis est venenosus & nunquam

IOAN. CHRYSOST.

quam quiescens ille vermis. Heu quàm graues illæ tenebræ exteriores, & semper manentes. Heu quales sunt ministri tormentis præfecti, qui misericordia & visceribus carentes exprobant, & verberant. Tunc qui cruciantur, grauiter clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos. Tunc scient, quòd omnia quæ in hac vita fuerunt, vana & transeuntia, & quæ hic putauerunt esse dulcia, felle & veneno amariora inuenta sunt. Vbi tunc falsi nominis voluptas carnis? Alia enim voluptas non est, nisi timere Dominum. Hæc vera voluptas est, verè hæc quasi ex adipe & pinguedine replet animam. Tunc desperabunt de seip[s]is, & operibus quæ fecerunt: tunc confitebuntur, dicentes: Iustum iudicium Dei. Audiuiusne hæc, & nolimus conuerti à malis nostris operibus? & tunc nihil proficiet. Heu mihi, qui comprehensus in incomparabilibus peccatis super numerum arenæ, peccaui, & defleto ab eis, quasi à multis ferreis catenis, non enim mihi est fiducia, vt videam sursum in cælum. Ad quē igitur confugiam, nisi ad te misericors? nisi ad te, qui iniuriarum non reminisceris? Miserere mei Deus secundum magnam

Deum timere, est vera voluptas.

M 5 mise-

S E R M O

misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarū dele iniquitatem meam. Amplius laua me à peccato meo, & ab iniquitate mea mūda me: quoniam iniquitatē meā ego cognosco, & peccatū meū cōtra me est semper. Tibi soli peccaui, & malū coram te feci. Ad te cōfugio, propter magnam misericordiā & bonitatē tuā. Exacerbaui te, & ad te cōfugio, ob merā placiditatem tuam. Te reprobauī, & ad te confugio, propter magnam bonitatē & humanitatē tuam. Et flagitās oro, vt auertas faciē tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas deleas. Cor mundū crea in me Deus & spīritū rectū innoua in visceribus meis, propter nomen tuū solū. Nihil enim habeo quod tibi offerā, nō opus bonū, nō cor purū: sed fidens miserationibus tuis, in eas me proiicio, vt crees in me cōpūctiōē, vt non facile iterū cadam in peccatum, sed ab hoc tēpore seruiā tibi in sanctitate & iustitia omnibus diebus vitę meę: quātuum est regnū, & imperiū in secula, Amē.

Obsecro igitur frater mi, qui hęc expectas, vt mūdus & immaculatus studeas inueniri in pace: si qua tibi mala cogitatio occurrat, corripe gladiū hunc, hoc est, cogita timorem

IOAN. CHRYSOST.

timorē Dei, & concides om̄nē inimici vir- *Timor Dei,*
tutem. Pro tuba autē, habe diuinas scriptu- *gladius.*
ras. nam sicut tuba milites cōgregat, sic &
diuinæ scripturæ nobis clamantes, congre-
gant cogitationes nostras in timore Domi-
ni. Cogitatus enim nostri, sunt quasi mili-
tes, qui contra hostes regis bellū gerūt. Et
iterum: Sicut tuba tempore prælij clangēs,
iuuenum & præliantium alacritatē contra
aduersarios excitat, ita & diuinæ scripturæ
excitant promptitudinem tuam in bonū,
contra affectiones te virilem reddūt. Ideo
frater mi, quantum potes coge te ipsum, vt
frequenter illis vaces, vt congregent cogi-
tatiōes tuas, quas dispergit suis malignis ar-
tibus inimicus, cōcupiscentias malas sug-
gerens, vel etiam afflictiones sæpe inferēs,
vel prosperitates & securitates nō nūquam
suppeditans. Hæc autem operatur sua ma-
litia & dolo, vt hominem à Deo abalienet.
Nam sæpe contingit, quòd quū nō potest
per concupiscētias aliquē expugnare, & de-
uincere, tūc postea tentationes ei affert, vt
obtenebret mētē, & inueniat postea oppor-
tunā, vt q̄ vult, inferat, & incipit aliquādo
hominū tales cogitatiōes suggerere, & cū
iuramēto dicere: Quia à quo tēpore bonū
operor,

S E R M O

operor, dies malos habui. Faciamus igitur mala, vt eueniant bona. Tunc si quis non fuerit inuentus sobrius, deforbet eum, sicut infernus viuentem. Quòd si eum, neq; sic potest vincere, tunc affert ei felicitatem & securitatem, & exaltat eum, immittens deceptionem omnibus affectionem grauiorem & molestiorem. Hæc est, vt superbum & impavidum faciat hominem. Hæc in profunda voluptatum mentem detrahit. Hæc in cœlum blasphemare os facit. Scriptum enim est: Et posuerunt in cœlū os suum. Hæc facit hominem non cognoscere Deum, neq; scire propriam infirmitatem, neq; cogitare diem mortis & iudicij, hæc enim est via omnium malorum. Qui hac via ambulare gaudet, hoc est prosperitatis & refocillationis, in mortis promptuaria tandem venit. Hæc est via, quam Dominus dixit: Latā & spaciōsa est via, quæ ducit ad pēditionem. Ecce audisti frater mi, quare inimicus studet aliquando prosperitatem, aliquando afflictionem nobis afferre. Nam vt probauerit mentem hominis affici, quæ sibi oblectatur: ita & ipsius malignitatibus cōtra eum instruit exercitum. Idcirco frater mi, sobrius esto, & cautus, &

vaca

IOAN. CHRYSOST.

vaca semper lectioni, vt te doceat, quomo-
 do oportet effugere laqueos inimici, & cō-
 prehendere vitam æternam. Mentem e-
 nim errantem subsistere facit lectio diui-
 narum scripturarum, & notitiam Dei ei do-
 nat. Audis frater quòd notitiam Dei acci-
 pit, qui diuinis scripturis vero corde inui-
 gilat? Ideo frater mi, animam tuam ne ne-
 glexeris? sed vaca lectioni & precibus, vt il-
 lustretur mens tua, & fias perfectus, & inte-
 ger, in nullo deficiens: Alij gloriantur in
 consuetudine magnatum, principum, & re-
 gum. Tu autem gloriare coram angelis
 Dei, Deo loquens, & sancto spiritui, per di-
 uinas scripturas. Nam qui per eas loqui-
 tur, sanctus spiritus est. Operam igitur da,
 vt diuinis scripturis & precibus perseue-
 ranter inuigiles, nam quoties per illas cum
 Deo conuersaris, toties sacrificatur anima,
 corpus, & spiritus tuus. Hoc igitur certū
 habe frater, quòd quando in eas incidis,
 tunc sanctificaris. Da igitur operam, vt fre-
 quenter illis incumbas, etiam si non vacent
 manus, mente preceris. Etenim beata An-
 na mater Samuelis prophetæ, precabatur
 mouebanturque eius sola labia, & precatio
 eius in aures Dei Sabaoth intrauit, & con-
 cessum

*Dei noti-
 tia è sacris
 literis su-
 mitur.*

*Spiritus
 sanctus in
 scripturis
 loquitur.*

*Deum men-
 te precan-
 dus.*

S E R M O

*Qui legere
nescit, aut
qui legendo
nihil intelli-
git, uirum
prudentem
adeat,*

cessum est ei quod petiit. Propterea frater mi, etiamsi non vacent manus tuæ, precare vel mente. audit enim Deus etiam silentes. Quòd si legere nescis, frequens ibi esto, vbi audire, & vtilitatem capere potes. Scriptum est enim: Si videris virum intelligentem, ipsum diluculo adeas, & pes tuus, semitam ianuæ suæ terat. Hoc autem conuenit non solum nescientibus legere, sed & scientibus. multi enim sunt qui legunt, & quid legant nesciunt. Proinde frater mi, vide ne neglexeris gratiam in te, quæ dono Christi tibi data est: sed cura, & inquire quomodo Domino placere possis, vt tibi sanctorum eius beatitudinem acquiras. Scriptum est enim: Beati qui scrutantur testimonia eius, & in toto corde exquirunt eum. Vide ne moretur hostis, vt quum legere volueris, tibi acediam immittat, & negotia quæ te distrahant iniiciat, dicens, primum absolue negotium hoc, quod paruum est, & sic absque sollicitudine leges. Nam quoties hæc immittit, vt alacritatem ad laborem manuum afferat? talia enim omnia iniicit, vt te à lectione & maiori vtilitate abstrahat: quandoquidem diabolus videns hominem lectioni

IOAN. CHRYSOST.

ctioni deditum, his & alijs occasionibus
 se ei opponit, quærens si qua impedire
 possit. Tu autem ne obedias ei, sed esto si-
 cut ceruus, qui sitit & desiderat, vt ad fon-
 tes aquarum veniat: hoc est, ad diuinas scri-
 pturas, vt bibas ex eis, & refrigeret tuam si-
 tim, quæ te tot affectionibus adurit. Bibe
 autem ex eis, quæ tibi conueniunt, & vtilia
 sunt. Vt, exempli gratia: quando donat ti-
 bi, vt cognoscas dictum aliquod, ne te præ-
 tereat, sed meditare eum in mēte tua, inscri-
 be in corde tuo, & indelebilem ferues eius
 memoriam. Scriptum est enim, In iustifi-
 cationibus tuis meditabor. Et iterum: In
 corde meo abscondi eloquia tua, vt ne pec-
 cē tibi. Et iterum: In quo corrigit adolescē-
 tior viam suam? in custodiendo sermones
 tuos. Vides dilecte, q̃ memorando sermo-
 nes Dei, corrigit homo viam suā? Quis est
 enim qui memor est sermonū Domini, &
 viam suam non corrigit? An nō ille est om-
 nino reprobus & miser, nihil omnino me-
 morans, sed oblitus etiam eorum, quæ no-
 uit? Tali enim dicit Deus: Quare tu enar-
 ras iustificationes meas, & accipis testamē-
 tum meū per os tuum? vnde iubet, vt tollat
 ab eo, q̃ videtur habere. Quid autē iubetur
 tolli

SERMO

tolli ab eo, quod videtur habere? Fidem. nam se christianum vocat sed operibus negat, & est infideli deterior: ideo iubet ab eo tolli spiritum sanctum, quem accepit in die redemptionis, & quod videtur habere: sitq; talis homo quasi vas vinarũ, & per quod vinum perditur, quod quum nesciant, qui illud vident, plenum esse opinantur: quando autem ex eo vinum promendum, tunc apparet omnibus quod sit vacuum. Sic igitur & talis homo, quum ab eo ratio sumetur in die iudicij, vacuus iuvenietur, eruntque eius opera conspicua omnibus. Tales sunt, & qui regi dicent in illa die: Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & tuo nomine virtutes multas fecimus? Et quum responderit rex, dicet eis: Amen dico vobis, nescio vos. Vides frater, quod talis omnino nihil habet. Tu igitur memor esto sermonis, & viam tuam dirige. Caue, ne auibz permittas descendere, & comedere semen filij Dei. Ipse enim dixit, quod semen est sermo, quem audistis. Occulta igitur semen in sulcos terræ: hoc est, occulta sermonem in medio cordis tui, vt fructum aliquem afferas Domino in tempore. Quando autem legis, diligenter & strenue

IOAN. CHRYSOST.

nuè lege, & cunctanter perpendens tracta-
 verſum. nec ſit tibi ſtudio multa folia per-
 tranſiſſe; ſed ſi difficile aliquid incidat, ne
 graueris, & ſecundo & tertio verſum tra-
 ctare, donec mentem & virtutem eius in-
 telligas. Porro quum ad ſedendum & le-
 gendum vel etiam ad audiendum alium te
 apparas, ora primùm Deum, dicens: Do-
 mine Ieſu Chriſte, aperi oculos meos, & au-
 res cordis mei, vt audiant eloquia tua, & in-
 telligant, & faciant voluntatem tuam Do-
 mine: quia incola ego ſum in terra, ne oc-
 cultaueris à me mandata tua: ſed reuela
 oculos meos, & conſiderabo mirabilia de
 lege tua. In te enim ſperaui Deus meus, vt
 tu cor meum illuſtres. Etiam frater mi ob-
 ſecro, ſic ſemper ora Deum, vt illuminet
 mètem tuam & manifeſtam tibi faciat vim
 ſermonum ſuorum, multi enim aberrave-
 runt, ſuo fidentes ingenio: & dicentes ſe
 ſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, non intelligē-
 tes quæ ſcripta erāt, & in blaſphemias pro-
 lapſi perierunt. Tu ergo ſi legendo inue-
 neris aliquid captu difficile, vide ne malig-
 nus doceat intra temetipſum dicere, non
 ſic eſt vt ſermo ille dicit. quo pacto enim
 ſic eſſet, & huiuſcemodi. ſed ſi credis Deo,
 N crede

*Qui ſacras
 literas legit,
 attentè legat
 & Deū oret.*

S E R M O

crede & sermonibus eius, & dic ad malignum: Vade post me sathana. ego enim nescio te. eloquia Dei, eloquia munda sunt, argentum examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum: & nihil in ipsis peruersum, vel infracto talo (vt aiunt) sed omnia bona coram sapientibus, & omnia recta coram inuenientibus scientiam, & ego autem insipiens sum, & nescio. scio autem quòd spiritualiter scripta sunt. Dicit enim apostolus, quòd lex spiritualis est. Deinde sic respice in cœlum, & dic: Domine, credidi eloquiis tuis, non contradico, sed fido sermonibus tui sancti spiritus. Tu igitur Domine salua me, ut inueniam coram te. ego enim aliud quæro nihil, nisi solum vt saluer, ô misericors, vt assequar gratiâ tuâ quoniâ tuum est regnū, & misericordia in secula, Amē. Posside autē & silentiū frater,

SILENTIUM. vt fortem murum. silentium enim affectionibus sublimiorem te facit, & tu superpræliaris, illæ autem de subtus. Posside ergo in timore Dei silentium, neque tibi nocent vlla inimici tela. Silentium enim timori Dei coniunctum, currus est igneus, possessorem suum in cœlum subuehens. Id tibi persuadeat Elias propheta, qui silentium

IOAN. CHRYSOST.

silentium vnà cum timore Dei diligens, assumptus est quasi in cœlum. O silentium, profectus monachorum: ô silentium, gradus cœlestis: ô silentium, via regni cœlorum: ô silentium, mater compunctionis: ô silentium, speculum peccatorû, ostendens homni delicta sua: ô silentium, quod lacrimas non impedis: ô silentium, mansuetudinis genitrix: ô silentium, humilitatis cõtubernale: ô silentiũ, humilitatis cõiunx, & mentis illustrator: ô silentium, cogitatio nũ explorator, & diiudicationis cooperarie: ô silentiũ, mater omnis boni, ieiunij firmamentũ, & gulæ impedimentum: ô silentium, schola lectionis, & orationis: ô silentium, tranquillitas cogitationum, & serenus portus: ô silentiũ, solitudinis animæ abiectio: ô silentiũ, iugum suaue, & onns leue, refocillans & portás portantem se: ô silentiũ, lætitia animæ & cordis: ô silentiũ, aurium & oculorum & linguæ frænum: ô silentium, imposturæ interitus, & impudentiæ aduersaria: ô silentium, reuerentiæ mater: ô silentiũ affectionum carcer: ô silentiũ, omnis virtus cooperaria, & paupertatis conciliatrix, prædium CHRISTI, bonos fructus afferrens: ô silentium,

N 2 timori

SERMO

timori Dei coniunctum, murus & præsidium eorum, qui propter regnum cœlorum certare volunt. Maximè hanc frater posside, bonam illam partem, quam Maria elegit. Ista enim Maria, quum sit exemplum silentij, sedit ad pedes Domini, ei soli adhæsit. Ideo & laudauit eam, dicens: Maria autem partem bonam elegit, quæ non auferetur ab ea.

Vides frater, qualis sit res silentium: quia laudat eam Dominus noster Deus. Hanc posside, frater mi: & deliciæ tibi erit Dominus, sedenti ad pedes eius, & ei soli adhærenti. vt dicas & tu fidenter: Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua. Propter hoc, quasi ex adipe & pinguedine repleta est anima mea. Etiam frater posside hanc melle dulciorem. melior enim bucella cum sale in silentio & tranquillitate, quàm appositio eduliorum sumptuosorum in occupationibus & sollicitudinibus varijs. Audi dicentem Dominum Deum: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego refocillabo vos. quietem enim tibi dare vult Dominus à sollicitudinibus, à concupiscentiis, ab mentis distractione, ab afflictione seculi huius, à sollicitu-

IOAN. CHRYSOST.

licitudine liberū te vult esse, & à laterificio
 Aegypti. Ducere te vult in solitudinem:
 hoc est, in silentium, vt illustret vias tuas
 columna nubis, vt pascat te manna. pāne
 puto silentij & tranquillitatis, vt hære-
 ditate possideas terram bonam, super-
 nā dico Hierusalem. Etiā charissime, hanc
 dilige, hanc posside, vt oblecteris in via, te
 stimoniorum Dei, quasi in omnibus diui-
 tijs. Etiam frater posside silentium cum ti-
 more Domini, & Deus pacis erit tecum:
 quem decet gloria in secula, Amen. Obse-
 cro igitur fratres dilecti à Domino, vt stu-
 deatis quotidie horum memoriam habere:
 fidei inquam, spei, charitatis, humilitatis,
 vt sigillentur semper precibus Dei, & me-
 ditationibus diuinarum scripturarum, &
 silētio. nā si hæc vobis fuerint, & his abūda-
 ueritis, neq; neq; vacu^a steriles relinquet ad
 agnitionē domini nostri Iesu christi. Chri-
 stianus enim qui non possidet hæc, sed
 suam ipsius salutem negligit, cæcus est, ma-
 nu viam tentans, oblitus sese à veteribus
 suis peccatis purgatum: & euenit ei, quod
 in vero prouerbio dicitur, Canis reuersus
 ad suum vomitum, & sus lota ad volutabrū
 cœni. Propterea qui effugierunt ab iniqui-

N 3 namentis

S E R M O .

namentis mundi, (vt scriptum est) & his in baptismo renútiauerūt, & ad agnitiōē Domini nostri Iesu Christi venerunt, dein de his iterum implicantur, his fiunt posteriora deteriora prioribus. melius enim eis fuerat, non agnoscere viam veritatis, quàm vbi cognouerunt, ad ea quæ post se sunt reflecti. Igitur dilecti, fideles serui Dei, & electi, milites Christiani, accipiamus armaturam prædictam in cordibus nostris, quotidie diligenter, & non in superficie tantum eorum memoriā faciamus, vt bene certantes, & conculcantes omnem virtutem inimici, liberemur ab ira ventura super filios incredulos, & inueniamus gratiam & misericordiam in die illa horribili, coram iusto iudice, qui retribuet vnicuique secundum opera sua: quem decet honor, cum omnipotente patre & sanctissimo spiritu, nunc & semper in secula seculorum. Amen.

FINIS.



53167

